

William Macdonald of
St Martins





PHINGALĒIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA,

Epicum Ossianis Poema,

E CELTICO SERMONE CONVERSUM,

TRIBUS PRAEMISSIS DISPUTATIONIBUS,

ET SUBSEQUENTIBUS NOTIS;

BENIGNEQUE ANNUENTI,

AUGUSTO FREDERICO,

Serenissimo Sussexiae Duci,

DICATUM.

AB ALEXANDRO MACDONALD.

Edinburgi:

TYPIS MANDAVIT JOANNES MOIR:
VENDITUR EDINEBURGI à LAING, à CADELL ET DAVIES
LONDINI, ET DUBLINI à CUMMING.

MDCCCXX.

ENTERED IN STATIONERS HALL.



AUGUSTO FREDERICO,

Serenissimo Sussexiae Duci,

ALEXANDER MACDONALD.

PULCHRA, Caledonio jamdudum condita versu,
Carmina fert animus latè vulgare per orbem :
Non injussa cano ; mihi nec fiducia cedit,
Auspiciis firmata tuis, Auguste, secundis,
Regie dux, alium dat cui Sussexia nomen,
Quique genus sceptrumque ornas famamque Tuorum.

Nunc, age, diductas verbis numeroque Maronis,
Accipe Phingaleas laudes, quas ore sonoro
Saepius Ossianes cecinit convallibus altis ;
Inde novos dabitur fòrs me, vir magne, labores
Vincere, virtutemque tuis extendere factis,
Brachia Telluri quà porrigit Amphitrite,
Dum vaga saecla reget Coelus, dum sidera pascet.

Crieff, Idibus Maji }
MDCCCXX.

PRAEMISSAE DISPUTATIONES.

OSSIANIS conversurus Phingalèiden, paucisque ego contentus lectoribus, tria praefabor. Primum de vetustate disseram poëmatum, quae tribuuntur Ossiani; deinde de Phingalèidos dicam genere, contendamque esse pulcherrimum; exponam denique quid de optimâ sentiam interpretatione, Latinisque condendis versibus.

I.

Ossianis poëmata primus Anglicâ solutâque oratione vertit, superioris saeculi annis 1760, 1761, Jacobus Macphersonus. Nec mora, per Magnam Britanniam Hiberniamque avidissimè lecta sunt. Hinc in exteras derivata gentes, summis per Gallias, Italiam, Germaniamque laudibus efferuntur.

Quod autem diu multùmque fuerat optatum, quodque unum ad exortam de Ossiane pacandam controversiam maximè pertinebat, effectum tandem aliquando fuit, sollicitantibus viris clarissimis, inprimisque Joanne Macgregorio, equite, cujus est immortale decus. Londini namque prodiêrunt in lucem, anno R. S. 1807, ipsamet Gaëlica, sive Celtica poëmata, cum Latinâ singularum vocum interpretatione; additaeque fuerunt hae disputationes, queis omne sublatum, vel minimum, de vatis Caledonii vetustate dubium videatur. Quae fusiùs per primum tertiumque tanti operis volumina tam lucido disseruntur ordine, tam mirâ doctrinâ dicendique robore, in rem congeram meam; ac postea ostendam nullius esse momenti, quae ab adversariis objiciuntur.

Si quis Æneiden sibi, aliive nunc vindicare vellet, totus reclamaret orbis terrarum, quaquà notum est nobile hoc poëma; hominisque novi insanum testaretur ausum. Nec secùs reclamant plurima, eaque gravissima, per omnes Caledoniae fines, vehe-

menterque obstant, ne Anglico interpreti, tanquam conditori, tribuatur quod vulgatum est Ossianis nomine opus.

Reclamant, quae proprio extulisse penu constat Jacobum Macphersonum; quorum unum funestavit Mortis nomine, alterum speciosè Monticolam appellavit. At ea tam rudi conscripta sunt Minervâ, ut plerosque lateant, atque ab omnibus prorsus contemnantur. Nec aliter sentiendum, sentiuntque quotquot sapiunt, de hominis deperditâ in Homero reddendo Anglicè operâ. Quae verò è Gaëlico translulerat, magno in honore ubivis gentium habentur.

Reclamat Gaëlicum exemplar, propriâ Macphersoni exaratum manu, quod ubique leni fluit agmine, sibi optimè cohaeret nitetque. Anglica porrò interpretatio non solum laborat plerùmque, anhelatque impedita, veluti si quis adversum conscendat clivum, sed et plurima prae se fert in antetypum nullatènuş convenientia, immo maximè disjuncta et contraria. Hinc Anglicum interpretem,

licet natione Scotum, saepiùs non intellexisse quae vertebat, ostendit Thomas Rossus, exponendo primum Phingalèidos librum; itidèmq̃ue passim doctus vir ille, qui Gaëlica haec omnia scripta, a Macphersono tradita, totidem Latinis explicat verbis. Si laborandum nobis est aliquando, si multùm sudandum, algendumve, ut aliorum assequamur mentem, tenebris obvolutam, quae nostro conficimus Marte, facilè attingimus.

Reclamant omnes, qui, comites additi Macphersono, cum ipso in conquirendis Ossianis carminibus, excipiendis ex hominum memoriâ, transcribendis, et explicandis operam navârunt.

Reclamant, quae acquisivit cultissimo vir ingenio et fide integerrimâ, Joannes Smithaeus, eorum similia, quae interpretatus fuerat Macphersonus. Sunt quidem alia prorsus, sed eòdem respiciunt, eundemque ducunt spiritum.

Facies non omnibus una,
Nec diversa tamen, qualem decet esse sororum.

Immo ex his, quae ediderat Macphersonus, inveniebatur plura Smithaeus, licet haec non insequeretur.

Reclamat initum anno 1759 a Ministro Popeo consilium colligendi carmina Ossianis. Reclamant maximè, quae conquisiverat Joannes Farquarsonus ante annum 1745, ac literis mandaratum, secumque Duacum detulit. Haec autem venerandus senex, Scotorum Duacensi praepositus collegio, cum iis conferebat, quae postea Macphersonus protulit Anglicè; ac plerumque convenire testabatur.

Reclamant Caledoniae montes, flumina, valles, arces, antra, hisque similia; quae post hominum memoriam ad hunc usque diem nominibus notantur Phingalis, Ossianis, Cuchullinis, aliorumque heroum, quos hisce mistos carminibus legimus.

Reclamant quotquot rerum nostrarum habemus antiquos scriptores. Barbourius enim, Boethius,

Buchananus, Leslaeus, Gavinus Duglassius, Hailsius, Lindseius, et Nicolsonus, haec sibi Ossianis carmina nota fuisse sat significarunt.

Quid moror? Reclamat vel tota Caledonia, quae, nubem obtendens spectatissimorum testium, qui cogniti planè sunt ex his gravissimis epistolis, undique ad Blairum, Edinburgi degentem, hac super re missis, Ossianis opus, diu sibi notissimum, Macphersono, aliive cuivis adscribi homini novo non dat, non sinit, non patitur. Obstupuère itaque nostri, cum primùm dubitari coeptum, utrum, quae sermone donarat Anglico Jacobus Macphersonus, vetusta, recentiorave forent carmina. Nec mirum, siquidem adhuc pueri his audiendis oblectabantur ipsi, longasque ducebant noctes; adolescentes autem facti his acuebantur ad fortia; senesque solabantur taedia senectutis. Hinc id omne dubii in homines rerum nostrarum prorsus ignaros, atque infestis se erga nos agentes animis refulderunt.

Primus interpretem, quasi impudentissimum mendacem, invasit Samuel Johnsonus, vir Anglus, litterisque Anglicis multùm exercitus. Hujus institit vestigiis Shavius, Scotus, ex insulâ oriundus Araniâ. His fuerat, sub initium, fòrs condonandum, donec res fuisset ad veritatis trutinam revocata. Infestior adhuc, licet simulâtius, subsecutus est Micolumbus Laingius, vir Orcadicus; qui eò devenit, adeoque omnem abjecit verecundiam, ut anno 1805, Ossianis opera vulgarit nomine Macphersoni, atque hoc suum facinus ratiunculis quibuslibet defendere nitatur. En Triumviratus, Ossianis famae, si minùs noxius, certò tamen hostilis aequè ac Romanae Reipublicae fuerunt Octavianus, Lepidus, Antoniusque.

Non est cur pluribus cum duobus primis agam; quorum alter, Johnsonus nempè, montanus ut aper, dentibus infrendens, in Scotos Scoticumque omne ferebatur. Ipse etenim palam significavit se, nubibus obvolutum livoris, tempestatibusque odii plusquam civilis abreptum, aberravisse veritatis tra-

mite, quum in Macphersonum, ipsiusque populares debacchatus est. Ajebat is Caledonum eloquium rudissimum esse, ipsos omnino barbaros, ac nihil, nisi crassè, mente concipere, nihil, nisi crassè verbis enunciare. Quis vero non intelligit hominem de incognitis protulisse judicium? Nil enim scire se Gaëlicè fatetur. Contendit nullum ingenii egregium opus potuisse confici sine litterarum adminiculis; quod quàm falsum est, ut ex aliis pluribus, sic illustri patet exemplo Homeri, qui nihil scripsit, cujusque Rhapsodiae diu post ipsius obitum recitatae sunt, donec has demum in Graeciam intulerit Licurgus; Solonque, ac Pisistratus, hujusque filius, Hipparchus, in eam redegerint formam, quam admiratus est saeculorum ordo. Nullibi extare Gaëlica poëmata tubâ canebat. Prodierunt; instructum ut agmen, aperto stant campi aequore; mihi, aliisque oblectant animum. Cessit e vivis Johnsonus, suos jam passus manes. Cedat acie Shavius, qui se inde cessurum promiserat, si quis vel digito quodvis monstrâset Gaëlicum exemplar poëmatum, quae Ossiani vindicabantur.

Ad te nunc convertor, Laingi. Non mihi est Herculis robur; at in te jaculabo telum sat penetrabile. Attolle, si vis, clypeum; ac scito in hoc unum à me dirigi oculorum acies, ut, quae vulgarat Macphersonus, dixitque a se conversa, quopiam probatissimo suffragante teste, poëmata Ossiani, veteri Caledonio vati, tribuantur. Jam verò tota Caledonia, cui quidquid hujus rei est, fas erat uni cognoscere, facta mihi testis suffragatur. Verte te in mille facies; transfixus hoc meo telo jaces. Tradidit Homerum Graecia, Virgilium Italia, tradit item Ossianem Caledonia.

Perpendere juvat, quae sparserat adversarius, antequam stratus fuerit humi. Animadvertendum primùm, si quid denegetur, quod testibus optimis solummodo confirmari oportet, ac jam confirmatum est, frustrà, qui negat, iis niti, quae mentis penu, per inania vagantis, avocantur. Nam quae indè petuntur, nil roboris habent, nil splendoris. Corporum fieri ullum motum posse negabat Zeno; cognoscere nos quaevis extare omnino corpora Berk-

leius ; quidvis esse praeter unam ingentem molem, mente praeditam, atque in immensum facies variantem, Spinosa ; atque haec illi miris astruere subtilitatibus conantur. Qui porro iis refellendis immoraretur, operam perderet oleumque : nec video quò tandem ad se revocentur, nisi eo validissimo argumento, quo, magnus ille Dialecticae magister, Aristoteles docebat talia delirantes oportere redargui.

En nunc Achilleum, si superis placet, nostri philosophi argumentum ! Quae tribuuntur Ossiani carmina, non ejus esse possunt ; itaque non sunt. Si, quod primum hîc est, concedatur, non est cur postremum negetur. At mihi fas totum hoc, quantumcunque est, convertere. Haec carmina sunt Ossianis : quis ergo neget illius esse potuisse ? Dialecticam utrinque videmur callere. Jam ego rem confirmavi meam ; eoque usus fui disciplinae doctrinaeque genere, quo rejecto, actum est de Homero, Virgilio, aliisque quibuslibet auctoribus, qui quâcunque terrae plagâ, quovisve tempore flo-

ruerunt. Adversarius autem meus, latissimè vagatus, digladiatur. Ait enim : quae deferuntur Ossiani carmina, miram depingunt morum amoenitatem, quum constat ex Romanis Scriptoribus, ut Ammiano Marcellino, ipsum, siquidem extiterit, fuisse cum omnibus suis immanitate barbarum. Quì potuit ergo haec condere carmina ? Proh hominum fidem ! ubinam gentium sumus ? Quae quantaeque morum barbaries ubique viget ? quàm multa perpetrantur immanissima per omnes cultiores Europae terras, quae Divinas Christi profitentur institutiones ? Priscos omitto Graecos, ipsorumque clarissimum poëtam, Homerum ; festino Romam, cujus copiis maximè fudit Laingius. Eleganter de Romanis dixit Buchananus noster.

Roma armis terram, ratibusque subegerat undas,

Atque iidem fines urbis et orbis erant.

Hinc superbierat Roma ; illiusque scriptores, ut Ammianus, aliique sui similes, qui nunquam Caledoniae oras populosque viderant, quique, quascunque gentes Romana dominandi cupido nondum fre-

gisset, barbariae immanitatisque notis designabant, non omnem merentur fidem, si quid durius in majores nostros scriptum reliquerunt. Quae scribebant, ab iis didicerunt, quos nostris nos armis perterrefecimus.

Fortia Trojani gesserunt Romulidae; fortia quoque Phingalei Caledones. Quo turbine fas nobis contorquere hastas Romanae expertae sunt Legiones. Aggeribus murorum extruendis, et à mari ad mare trans hanc insulam diducendis frustrà laborarunt; frustrà nostrorum montium fauces occupavêre, praesidiisque muniêrunt. Irruimus, perrupimus, dejecimus haec omnia; magnificè vicimus. Qui per Meridionales plagas in id devenerant inertiae, ut a Romanis passi sint debellari, assuetique jugo conquieverint, nostris se dedere gladiis, aut fluctibus se amandare devorantibus compulimus. Ex Hiberniâ reversos solo animisque recepimus nostris. Indè Kennethus, rex noster, in Pictos movit arma, debellatosque inter sui posuit sedem imperii. Hostiliter in nos incursantes, Danos man-

dabamus tumulo, ut pelago prodibant. Ex Angliâ, Normaniâ, et Belgio profugos civitate donavimus; atque hi in unum nobiscum populum coiêrunt. Abs extremis Carnabiis trans Bodotriacae Glottaeque aestuaria ad usque Northumbrios imperium protulimus. Quid patriae possit amor, sanaeque studium libertatis, demonstravit eques noster, praestantissimus Vallas; quid mens invicta malis, rex Brussius. Tot alma tandem regum progenies, Jacobus Sextus, suscepit Britanniae totius, atque Hiberniae, insularumque adjacentium gestandum dextrâ sceptrum; hodièque gestat sanguis Caledonius,

Juraque dat populis, quaquà sol aureus orbem

Respicit.

Invictas quid gentes traduxit Roma, omnium ipsa bellua immanissima, quae vel ab uberibus fota fuerat sanguine, creverat in immensum cruore satiata, tot proculcârat populos pede cruentato, toties in se suaque saevierat viscera? Haec tamen turbulentissimis enixa est temporibus M. T. Cicero-nem, cujus animum non capiebant orbis angustiae;

blandum enixa est Virgilium, spem alteram. Quidnè ergo genuerit Ossianem vetus Caledonia, qui suis praestaret carminibus, ut, quorum victricia repulimus tela, nec ipsis admodùm ingenii splendore cedere videremur?

Respublicae, regumque ditiones maribus, fluminibus ac montibus definitae sunt, veluti quibusdam metis; posuitque Deus florentissimis quoque regnis statuta rerum tempora. Non his tamen limitibus terminantur virtutes ac vitia. Nobiscum enim pullulant, ubicunque sumus; humanumque genus in aevum sequuntur. Poëtarum autem est, quos laudant, magnificè laudare; omniumque est ab iis se avertere, quae minùs in amicis fulgent. Si quid domi militiaeve niteat, atque in unum bellè conferratur; et ab eo, cui tribuitur, omne recidatur minus habens decoris, en! mores, quos describit Ossianes; en illius Phingal, quem praestantissimo similem numini depinxit! Quidnè venerandus senex, strenuus bellator, natus poeta, Bardorum imbutus institutionibus, memorans, quae cognati,

quae pater, insignis rex, quae filius, quae fratres, quae dilecti sodales gesserant, et quorum pars magna fuit ipse, haec exornarit? tales heroas ad coelum laudibus extulerit? jucundissimâ raptus animi recordatione in ea, queis ipse studuerat juvenis, in eos, quos adamaverat, in eximia facta, quae cum iis perpetraverat, superstes sic senium, sic caecitatem, sic suorum desiderium solatus sit? Quidnî praeclara sentiret, easque virtutum morumque exprimeret opiniones, quas tantopere admiramur?

Contendit dein Laingius non potuisse Ossianis poëmata, vetusti nempè vatis, ad nos usque pervenire; quum nec ab initio, nec post plurima saecula fuerant litteris mandata. Quod scriptum est, stabile ac permansurum vocat; quod voce tantum traditur, Laethèis delendum aquis committi dicit. Verùm haec hominis doctrina vel adducto jam retunditur exemplo Homeri, cujus Rhapsodias per multa servavit saecula sola recitatio. Quem porro habet testem Laingius, ubi asserit Ossianis poëmata nec ab initio, nec plurima post saecula fuisse

litteris mandata? Non omnino latebat Celtas scribendi ars, quàmvis arserint magis gerere quae sunt fortia, quàm scribere: sed et constat eos optimos viros, quos Roma, facta jam Christianae veritatis Magistra, sacris imbuebat institutis, ac, veluti gentium omnium Mater amantissima, legatos praeceptoresque ad varias mittebat nationes, litteris abundasse. His abundavit S. Patricius, Hiberniae apostolus; his S. Columba, sociique ejus, qui ex Jonâ insulâ face Evangelii Caledoniam collustrarunt; tantâque se doctrinae famâ, morumque gesserunt integritate, ut, quas sibi, per nostras et insulas et continentem terram, posuerant sedes, pia posteritas horum insignitas ad hunc usque diem nominibus, templa Deo O. M. sacrârit. His abundavêre nostri Praesules, Presbyteri, et Monachi. Quidnî unus, aut alter, pulcherrimis allec-tus Ossianis carminibus, haec litteris potuerit, ac voluerit, concredere? Semper enim hoc egit Ecclesia, ut, si quid eximii in ulla doctrinâ, si quid in artibus liberalibus, si quid omni terrarum orbe, coelive, quod videmus, est ambitu, id nobis optet

proponere. Sic namquè ad multò præstantiora aestimanda tollimur ; hâc sapientissimâ eruditi disciplinâ, quae nunc spe praesumimus amplissima, tandem aliquando in Dei mente, quasi fonte lucidissimoque speculo aeternùm, atque inenarrabili cum gaudio, intuebimur.

Haud ignoramus quàm multa nobis abstulerat vetera scripta vastator ille, Anglorum rex, Eduardus Primus ; quàm multa plusquam civilis ille furor nostratum, qui, saeviente perduellionis procellâ, patrum pertaesi sacra, novisque rebus studentes, antiqua monumenta flammis abolenda decreverunt ; quàm multa Cromuelli tyrannis ; quàm multa denique Anglici dux exercitûs ille, qui Britannis restituit rem ; quaeque inde, ubi in Scotiam, jubente rege, Carolo Secundo, nave remittentur, absumpsit pontus.

At licet, qui primus Ossianis carmina litteris expressit, fuisset Joannes Farquarsonus, non erat cur nos usque non potuerint advenire. Qui

stabile putant, quod scribitur, non item, quod voce traditur, haud animadvertunt litterarum stabilitatem hominum inniti studio, quasi unico fundamento, quo semoto, totum corruiat aedificium. Nec enim litterae quid nobis ex se significant, cum mera sint signa, quibus homines, conventionem factâ, voluerunt quid indicare. Hinc, si per centum circiter annos neglexisset humanum genus conscriptos jam libros, hi, veluti lapides, semper conticerent; nihilque inde disceremus; quoniam, si ignis et aqua tempusque rerum edax his pepercissent, non amplius tamen intelligerentur. Proinde, si scriptis, vocibusve erudimur, id hominum curae, semet excipientium, doctrinaeque debemus. Quare, si majores nostri in id incubuissent, ut, quae vocibus hauserant ipsi, ad seros usque nepotes transmitterentur, hoc omnino efficere potuerunt.

Librorum nos multitudine obruimur; ideoque nescio quâ memoriae hebetudine laboramus. Fidemus libris, memoriam negligimus; quam tamen discendi ardore, ubi nil aliud suppeditat, mirum in

morem augeri notum est. Caledonias autem gentes Hibernasque, ut missos faciam reliquos Celtas, versibus, et suorum laudibus exarsisse testatur historia; itemque has inter extitisse hominum ordinem, cui fuerat id muneris mandatum, quique summo habebatur honore, atque ad supremum duravit saeculum. Praetereà nostri vel à Phingalidarum aevo semotissimam ab aliis gentibus agebant vitam, parvo contenti; diem venatu exercebant; fidibus, cantu, jucundis narrationibus longas fallabant noctes; nec erat, cur quidpiam innovaretur.

Post annum tandem 1748, mutari coeptum. Hoc nempe anno abolitum est, quo nostri proceres inter suos utebantur, jus carceris et sanguinis; atque deindè cum reliquis Britanniae populis in unum coaluimus. Hinc cultior quidem soli facies; innumerae sunt apertae viae.

Quà priùs ipse gradu vix nitebaris anhelò,
Nunc rapidis teritur semita pressa rotis.

Undique viridantes assurgunt sylvae; manu ca-

vatae rupes, vastisque repletae aquis, nostras, hinc indè remeantes, trajiciunt naves; ovibus abundant montes, re frumentarià valles, armentis prata; expediuntur merces; cumulantur divitiae; amplae struuntur aedes. At quàm dispar gens nostra! Heus ubi nunc almi proceres! ubi pietas! ubi prisca fides, aureaque simplicitas! Saevior debacchatur armis luxuries, majorumque prorsus eliminavit delicias. Non resonant citharae; jam vix ipsa placent carmina. Quâ tot potentissimi utebantur quondam populi, quâ dirigebat acies Phingal, quâ canebat arma virosque Ossianes, contempta lingua dimittitur. Peregrinis hiscimus vocibus, peregrinis inhiamus moribus, vestibus, cibus, potibus, suppellectili; litterulis studemus; vix mundum circumspicimus; in pejus usquè homines ruere videntur. Gratulor itaque prius Ossianis carmina in varias fuisse conversa linguas, quàm tanta praevaluerit rerum commutatio.

His ejectus propugnaculis, qui celebrantur ab Ossiane heroes, queisque tota resonat Caledonia,

bonus agnoscit Laingius ; ac plura à nostro vate memorata facta, quibusdam exilibus nulliusque momenti carminibus, dudum atque adeò per Hiberniam notis, circumferri fatetur. Ex his autem vult, tanquam elementis, consuta fuisse à Macphersono quae nos Ossiani carmina vindicamus. Verùm, quandoquidem hoc gratis dicitur, jure optimo negatur. Quam multa ex Homero et Virgilio desumpta, centonesque dicta, novimus ? Quis tamen ex his in unum congestis, prodiisse dixerit Homeri aut Iliaden, aut Æneiden Virgiliï ? Quis non videt, ob facilem è Caledoniâ in Hiberniam trajectum, atque inde commeantium multitudinem, fas quibusdam fuisse rudibus Hibernis, eodemque ferè nobiscum utentibus eloquio, nonnulla nostri vatis discere carmina, eaque pervertere, ut, pro re, diversissimis natâ temporibus, prisca miscentes novis, sacra profanis, digna indignis, suos quoquomodò laudarent ? Potuit ex eodem fonte quis nostrûm nonnulla in rem derivare suam.

Perstat adhuc adversarius, contenditque hisce

mista carminibus inveniri plura, eorum similia, quae in S. scriptoribus, in Homero, in Virgilio, poëtisque Anglicis leguntur ; atque indè novus hic vult sophus novum esse hominem Ossianem. Hos quidem auctores insano evolverat Laingius labore ; pluraque inde in medium protulit. At nimio fervore rem suam persecutus est :

Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Vidit is, quae praeter se nemo ; omnia ferè vidit gemina,

Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus,
Et solem geminum, et duplices se ostendere Thebas.

Quid si concedam aliqua inveniri similia ? Dicit Alexander Pope, in Homero, in quo erat is versatissimus, nonnulla esse eorum similia, quae in sacris litteris legimus. Quot coelum terramque, atque hominum describunt mores, quaedam habent ejusdem generis ; et habere necesse est. Ex eo nam derivant fonte, qui nìl minùs communis est, quàm mens, quae cogitat, spiritus, quem ducimus, vitaeque, quâ fruimur. Non legerat Ossianes Haebreas litteras, non Graecas, non Latinas, Anglicasve. Sed

prospectum legit mundi, maximum librorum unum, cui animos oculosque admoverant, quotquot posteris quid memoriâ dignum tradiderunt. Si quid ex Ossiane promatur, quod ipse suo sub coelo discere, suoque proferre more non potuit, victas domans. At nihil tale monstratum est; aut unquam monstrabitur. Quum dicit Laingius comparationem carminum cum Geniorum symphoniâ, colentium colles, quamque legimus Phingalêidos L. V. traductam fuisse ex Miltono, risum movet viro Caledonio. Haec enim popularis fabula nostris vel lippis et tonsoribus, quin et vetulis est notissima, quae nec Miltonum extitisse norunt. Hinc, qui talibus oppugnant nostri poëtae altam vetustatem, ad mera confugiunt figmenta; rem non attingunt, utpotè qui, longius digressi, Phaetontis ut equi, magnum per inane expatiantur.

Jamqui vale, mi Laingi: si fòrs resipueris; si te poeniteat; si reum tete confiteâre, fas tibi mecum in amicitiam coire. Solemne namque fuit, adeòque est Caledonibus,

Parcere subjectis, et debellare superbos.

Dic ergo temet insipienter egisse, qui Gigantis instar voluisti omnibus Caledoniae agminibus exprobare; dic rabiem Lochlinidarum, tuorum majorum, quos toties perfregère Phingalidae, ad seros deductam nepotes, in te, advenâ Orcadico, annales volutante, tot saevis colubris hydrisque pullulasse; dic usque adè te memorabile aliquod affectavisse nomen, ut non fueris dedignatus vel Herostratum imitari, qui sacrilegas injecit manus facesque Ephesino Dianae templo; quique id unum suo assecutus est auso, ut, quoties nostras subit mentes, toties immanissimi sceleris recordemur.

II.

OSSIANIS confirmatâ vetustate, dicam de Phingalèidos genere et pulchritudine. Plura fuderat is carmina; horumque aliqua ad nos usque devenère. Faciem variant; sed cognata facilè agnoscuntur. Ex his unum, Temora nempè, Phingalèide majus est, reliqua minora. Phingalèiden, quasi specimen, placuit vertere. Multa in singulas partes, seu libros, notaturus, sat modo, brevitati studens,

habeo hujus poematis materiem, personas, eloqui-
umque delibare.

Poëmatis epici materiem, seu argumentum con-
cedunt omnes, qui talia profitentur, unum esse ali-
quod oportere insigne facinus, quod per varios
ritè connexos casus, certumque temporis spatium,
unius aut anni, aut mensis, aut aliquot saltem die-
rum, ad finem usque perducitur. Quae minùs
sunt ergo necessaria, ac majori tantum inserviunt
explicationi decorique, vel ab ipsâmet poematis ac-
tione vacuo implendo intervallo, qualis nox est, in
episodia rejiciuntur. Achillis canit iram Home-
rus; Æneae adventum in Italiam Virgilius. Ex
his primus, pro mirâ, quâ pollebat, inventione, con-
gessit in argumentum plurimâ suum. Sed nimis
luxuriat, totusque in pugnis est, ac diris funeribus.
Hunc alter, in Æneide imitatus, amplissimum per-
currit campum; et Odyssèam sex prioribus libris,
Iliaden sex posterioribus exprimit. Simplex uti
est ac nobilis Iliadis Æneidosque materies, sic quo-

que Phingalèidos, Hibernia scilicet per Phingala servitutis jugo liberata.

Haec Phingalèidos praecipua materies in partes dividitur tres. Cum Cuchullin, Cormaci Secundo, Hiberniae regi, adhuc puero, custos designatus, ad Turam sedebat, Suarena, Lochlinis, seu Scandinaviae regem, hostiliter cum ingenti appulisse classe didicit. Impendentis hujus discriminis jam certiolem fecerat is Phingala, Morvenis, seu Caledoniae regnatorem, qui, non minùs quàm Cormac, communem à Trenmore gentis repetebat originem. At, praecipiti actus consilio, cum Suarene iterum iterumque in Lenae planitie congregitur, ante Phingalis adventum; funditurque demùm, ac mirum in modum tristatur. En poëmatìs non sat secundum initium! Hìc adventat Phingal, qui Suarenis copias bis in eadem planitie frangit; ipsumque, vir viro congressus, debellat. En medium! Quintâ, post initam poëmatìs actionem, die liber in regnum remittitur rex Suaren, aeternam pollicitus amicitiam Phingali, qui, Cuchullina

consolatus, laetus cum suis mox in patriam revertitur. En faustissimus finis!

Huic autem uni praeclaroque completo facinori plura, quae humanitatem, amicitiam, tenerosque spectant amores, magnâ cum arte innectuntur. Non etenim nudam texit veritatem Ossianes; sed, multis undique conquisitis, rem auget ornatque suam. Hinc optimâ naturâ duce, quas de poëmatibus epici materie leges doctus praescripserat Aristoteles, exequitur.

Quidquid sit de eorum sententiâ, qui hâc super re contendunt, ad epicum conficiendum poëma, priùs doctrinam aliquam excogitandam, quâ mores dirigantur hominum, deindè factum aliquod cum suis adjunctis esse perquirendum, quo illustrata haec inculcetur, non sic egit Ossianes noster. Tali fòrs tramite unus, alterve veterum poëtarum suos pertulit gradus; tali fòrs aliquis è recentioribus: non item Ossianes. Raptus amore poëseos, raptus in cognatos pietate, rerum admiratione raptus,

quas gesserant hi, atque ipse, comes additus non infimus, gratumque facturus multis, hinc inde convenientibus ad insignem audiendum Bardum, regis praestantis filium, jam senem, omniumque, quos adamaverat, afflictum funeribus, carmina dicebat. Hinc tota ejus poëmatum repetenda ratio, sonusque. Hinc summam adjungit dignitatem summae querimoniae. Cursu Homerus ruit rapido; quandoque etiam dormitat. Lugubris ut est Ossianes, grandior, verendus ceu rex, attollensque sublime os, duce semper sapientià, spatiat.

At, licet non instar Socratis consederit, ad hominum informandos mores auctor, ex Phingalèidos nexu haec magna consequitur veritas: corporum robur debellat vis; ferocia pectora lenit modestia. Singulis autem expositis casibus aliae aliaeque perpulchrae depinguntur veritates,

Quod ad epici poëmatis attinet personas, haec forsitan monenda forent. Hae, velut iridis colores, coelique sidera, discriminantur; quaedam notentur

flagitio ; sint quae magis, quae minùs niteant ; una, ceu sol, cunctis fulgeat induta virtutibus ; omnes denique sibi constantes agant, similesque sui loquantur. Iis, quae ipsarum turpantur notâ, alienàmur a vitio ; in iis, quae minus habent splendoris, nosmet agnoscimus ; atque, ut in speculo, perspicimus quid à nobis sit amovendum. Cum in illo autem, qui communia sentit incommoda, sapienterque perfert, intueamur, tanquam in tabulâ, egregiè depictam justitiam, benevolentiam, atque clementiam, vivâ hâc, placidissimâque gaudemus imagine ; virtutemque ipsam admiramur, diligimus, studemus imitari.

Quas praecipuas adduxerat in scenam personas Homerus, optimè distinxit ; suas item Ossianes. Non jam in Phingalèide est eadem personarum facies ; sed mirè variant hae formam ; sibi que, ortus ut occasui, è regione opponuntur. Ossianis, ut Homeri, heroes maximi sunt omnes armis validi, sed suo quisque more. Magnus bellator Suaren est ; at ubique ferox, donec victrici tandem Phingalis

dometur temperantiâ. Turbine contorquet hastas
 Connal, vir animi prudens, placidusque. Praeceptus
 in bella ruit Calmar; gloriâ militari maximè duci-
 tur Cuchullin; is tamen rebus in adversis nimiâ
 premitur aegritudine. Pugnaturus amabilis effe-
 vet Oscar; decidens ut ingenti rupes pondere,
 blandus imminet Ossianes hostibus; terribilis est
 acie Gollus; at ductor est aliquantulùm invidus.
 Occurrunt Phingalèide plures etiam Heroides, cùm
 animi fortitudine, tùm etiam corporis formâ mo-
 rumque conspicuae integritate: sunt et venerandi
 aetate ac carminibus Bardi, seu vates; verendi
 Manes, nocturni Lemures, aëriæ Larvae, montium
 blacidi ac canori Genii, luce adoperti decoris. In
 hoc tanto concessu Phingal sol est.

Si valdè suas discriminat Homerus personas, est
 tamen ubi graviter peccat is, quando scilicet iis mo-
 res affingit. Non solùm enim Diique Deaeque
 ejus ridiculè inter se rixantur, Jnpiterque, Deum
 pater, atque hominum rex, ineluctabili subjicitur
 fato, quod nihil est, sed et heroes omnes notantur

quâdam immanitate. Divinus ille Hector, optimus civis, thalami consors amantissimus, tenellus genitor, Patroclo insultat jacenti, vulturibusque, dilaniandum, traditum iri saevissimè minatur. Quid de ejus principe heroe dicam, Achille? Impiger, iracundus, inexorabilis describitur. Atamen is fingitur amicos habere Deos, victorque murum patriae deruit, Hectora. Defensores aiunt Homeri ab ipso, sciente ac volente, talem fuisse descriptum Achillem. Hoc denegat nemo; at contra fas, contra sanam rationem quis ignorat? Nec hoc quis aequi bonique faceret, nisi jam anili tene-retur Homeri superstitione; arasque ejus manifestis sacrasset erroribus.

Scribendi rectè sapere est et principium et fors.

HOR. A. P.

Non uti Grajus, aberravit vates Caledonius; nec ita sideribus effulgens coelum à tenebricoso terrae discrepat aspectu, prout Ossianes in pulchris effingendis moribus ab Homero. Exulat Fingalèide avaritia; exulat convicium; omnis indecora ex-

culat levitas. Animos hîc nectit amicitiae usus, amorumque dulcis castimonia. Sola dominatur virtutis majestas; atque huic comitas, laudum cupido sana, et prisca simplicitas astipulantur. Mensas extruit hospitalitas, ipsosque adsciscit hostes. Debellantur superbi; parcitur at victis, quibus etiam amica protenditur dextra; quos caecidit gladius, decorat laudibus, elegis, sepulchro humanitas.

Quem facit iracundum Homerus heroa, huic iras magnoperè aggerat; nec minùs Ossianes, quem voluit, effingit optimum. Sub altum Phingalèidos initium talis tantusque eminet Cuchullin, ut illo vix major quis alius excogitari posse videatur. Sed multo id mane cavit Ossianes. Quem enim hic ipse Cuchullin, certior factus appulisse hostem, praedicat expectari virum, cui montibus in altis Caledoniae summa pertinet rerum potestas, armorumque laus? Phingala. Quem nam superbiens Suaren unum sibi fòrs virtute telisque parem fatetur? Phingala Morvenium. Quis

ille, quo sine nil magnum audendum iterumque iterumque monet prudentissimus Connal? Phingal. Cujus jam adventus infractis Hiberniae copiis unica spes est salutis? Phingalis. Quem adventare videns Suaren, miserisque instans Hibernorum reliquiis, stat, retroque fert pedem? Anne Phingala? Quis, Golli obtemperans ambitioni, fidentis praeclarum aliquod efficere, si summa sibi pugnae demandetur, acie ad vicinum secedit tumulum, fugientibus occurrit Caledonibus, hostilem fundit exercitum, Suarena sternit humi, victumque tradit custodiendum? Ipse quidem rex Phingal. His ergo prominentibus notis facilè dignoscitur Phingal hujus heroici poematis bellator maximus.

At hoc, quantumcunque, parum est. Ut primum, sub adverso progressum clivo, Suarena suspexit, ipsum ad sua vocat benignus convivia, ejus recordatus sororem, Agandaecam, quam juvenis arserat: dumque sub noctem quiescit, coram stat ejusdem Agandaecae Umbra, suam proximâ trucidandam die gentem plorantis; atque his ille lacrymis

imo sub pectore turbatur. Fervente adhuc pugnâ, Mathonem, longævum heroa, suâ dejectum dextrâ, respicit, ac tandem agnoscit. Studuerat is Agandæcae, caesamque à barbaro luxit genitore. Iniquo percellitur casu mox Phingal, meritosque indicit viro honores. Lochlineum videt Orlam, jam fessum vulneribus; hunc super incumbit, sanguine singultantem miserans; mortuum decorat lamentis, laudibus, sepulchro; parcendumque ferro suos admonens, revertitur ad Suarena, quem non ut hostem, non ut immanitate barbarum aliquem, non ut devictum, sed ut virum fortissimum, cognatum, fratremque allocutus Agandæcae, solatur; et mansuefactum tandem, aeternaequae amicitiae vinculis sibi astrictum, in patriam remittit. Tantum potuit Phingalis modestia, tantum in Agandæcam fidissimus amor!

Senior est Phingal, illiusque cani disperguntur flamine; paterfamilias est, generosam habet filiorum cohortem. Horum amittit natu minimum, Roenam, primo virentem juventutis flore; effunditque

gemitum lacrymans ; atque indè pater deprehenditur. Rex est, sunt et alii reges. At populum beat suum rex Phingal. Durum arbitratur armis contendere ; nec, nisi justitiâ vel charitate motus, gladium aptat lateri ; neve ipsi quis inimicus est, quin bellum humanitati jam indixerit. Si quid vel in hoste videat egregium, id reveretur, ut in amico ; si quem oporteat è vivis tolli, vehementer angitur. Prae cunctis rex hic sapit domi, sapientiamque docet, placidum obvolvens os ; nec ab eo quisquam discedit moerens. Quicumque ubivis gentium rebus deprehenditur in arctis, amicum habet Phingala ; huic obvius it Phingal, hunc mollibus affatur dictis, hunc recreat. Cum talem se agat, nil inanem captat gloriam, famâque ad usque sidera notus est.

Hunc ego mente regem, vel absentem, colo ; hunc, à me nunquam visum, adamo virum optimum. In hujusmodi effingendo heroe alii, Christianae face destituti religionis, intenderunt nervos poëtae ; sed incàssum. Elicuerunt enim quendam

per nubila vagatum, quem vix animo, vix corde, vix oculis prosequimur. Talis est Virgilio *Æneas*, quem, si quandoque admiremur, nunquam diligimus. Hic ergo cedat *Caledoniae Graecia*; cedat *Italia*. In suo principe procedendo heroe it victor ovans *Ossianes*.

It felix et eloquio, seu dictione: absque ambagibus in medias prorumpit res suas, haud secus ac notas: plures omittit, quas immisceret alius; quae magis prominent, solas persequitur. Tacite labuntur tempora; idque sentimus. Novus etenim dat sese conspiciendum aspectus mundi. Sic quoque *Ossianes*, quam tractat, defixus materie, parcus est verborum; rebusque ipsis procedentibus, ceu curru, provehitur. In illo itaque desiderantur orationis copulationes variae, transitionesque artis. At ordine quaeque suo res ab ipso proponuntur; hasque, se ritè excipientes, mentis acie cernimus. Hinc *Ossiannis* eloquium brevissimum semper est, maximè autem in funestis exponendis casibus ab-

ruptum ; atque inde etiam multò majorem habet vim ; magisque eo percellimur. Si magnus praecepsque fluvius, scopulis hinc illinc asperis coercitus, arcto ruat alveo, quidquid supernatat, raptat is ; si per planitiem se fundat, facilè superatur. Quod timido navis, quà vectabatur, Caesar rectori dixit, pernotum est. Quid times ? Caesarem vehis. Hoc pluribus torquet Lucanus ; pulcherrimumque suâ simplicitate dictum, ultrò citròque explicitum, ceu fumus, abit in auras. Exuberat etiam Ovidius ; illiusque divite venâ nìl movemur. Praelia, stragesque aeternùm canit Homerus, aliis aliisque novus vocibus. Omnia, quae suos quomocùunque respiciunt heroas, venditat ; quique legit, miserè defatigatur. Fas ampliare quidem, quae laeta rident. Verùm, si, quae grandiora sunt, quae gravitate plena, quae lugubria, qualiaque plerùmque profert Ossianes, in medium adducantur, expugnanda mens est, uno veluti facto impetu ; aut secura stat. Haud aliter Ossianes nostrùm potitur : erumpit, ut fulmen ; icti stupemus.

Indè accedit ejus eloquio plurima lux ; quò paucioribus enim nitidis exponatur aliquid verbis, eò faciliùs a nobis arripitur. Lucidiùs quoque loquitur Ossianes, vel quia non ea, quae pluribus rebus communia sunt, exequitur. Haec quidem meditantur philosophi ; non curant praestantiores poëtae. Namque est poësis quaedam pictura ; quae porrò sunt pluribus rebus communia, propriis nequeunt depingi coloribus, quoniam talibus omninò destituuntur. In iis itaque, quae singula sunt, suisque circumstant distincta signis, Ossianes penè semper versatur. Si mons dicendus, montem memorat Cromlam ; si fluvius, Lubarà ; si sylva, sylvam Gormaleam.

Simplicibus utitur Ossianes verbis, aptisque epithetis ; tropis ac aliis longioribus abundat similitudinibus. Sic, qui terrae describendae dant operam, non in vocabulis toti sunt : conficiunt etiam tabulas, quae ante oculos positum unumquodque videmus regnum, majores montes, maria, insulas, lacus, flumina, vias. Hinc summâ cum animi volupta-

te amplissimum citò spatium percurrimus. Cum multus sit in imaginibus Ossianes, apprimè micat. Continuò illius secernimus coelum regionemque, heroas et heroidas ; immo et animas, defunctas corpore, ipsisque quâdam jungimur necessitudine. Acervat similitudines Homerus, diducitque ultra rem : harum nonnullae sunt utique nobiles ; humiles aliae. Ut plures ab Ossiane adhibentur, insignis est brevisque unaquaeque. Diis heroas comparat suos Homerus ; Geniis Manibusque Ossianes suos. Similitudines tamen hic plerùmque à magno evocat orbis aspectu, quem videmus quotidie, uti sole, lunâ, nebulâ, mari, scopulis, fluminibus. Sed et acutissimus in unâ eademque re, ut lunâ, faciem saepe locumque variante, multas propriae perspicit materiae imagines, quas ex nobis vix, ac ne vix quidem, attingeremus ; illo autem docente, cum admiratione discimus.

Quòd si plurima complectatur paucis Ossianis oratio, fulgorèmque jactet undique, sublimis quoque deprehenditur. Evehit enim ad omnia, quae

maximè suâ eminent dignitate. Unus fòrs est Ossianes poëta, qui vulgare nihil, vulgarive modo prae se fert. Si quid eximii sub imis haereat hominum sensibus, si quid in moribus pluris aestimetur, si quid in mundi prospectu percellat, moveatque animos, hoc Caledonius exequitur vates. In lacrymarum autem ciendis maximè dignis fluminibus crebrò immoratur. Quamvis enim in magnis sit totus, cujusdam unà, nescio quae, moestitiae dat gaudia; hisque mirè perfundimur. Cum Homero dirigimus acies; Virgilium jucundissimè audimus; in Ossianem mutamur ipsum. Quae sentit, sentimus; queis afficitur, afficimur; ubi flet, lubenter flemus, quod in optimo quidem poëtâ vel primum requiritur.

Haec, quae de Phingalèidos materie, personis, atque eloquio dixi, mente perpendat memor, qui hoc sat legit poëma; jamque ipsum, nil dubito, plurimi faciet; Ossianemque principibus comparabit poëtis. Si, quâ ipse spatiatus fuit, minus sit amplus cultusque ager, id illius saeculo regionique

tribuendum aequus fatebitur rerum aestimator
 iniquitatemque temporis, et recitantium accusabit
 incuriam, si in Phingalèide detorta quaedam, suum-
 que extra locum, fortasse videantur.

Hoc ubi mecum evolvissem, pergratum omnibus
 ubique gentibus, in Latinarum commune incumben-
 tibus litterarum studium, me putavi facturum, si quæ
 ipsis ea impertirer, vocibus numeroque Virgillii expo-
 sita, quæ suos inter Gaelicè noster canebat Ossianes.
 Homero duce antiquissimas invisimus Grajorum
 urbes; horumque nobis opiniones, ritus, moresque
 varios domi militiaeque, ab ipso describi gaude-
 mus. Res Italas, docente Virgilio, Romanorumque
 admiramur triumphos. Est autem Celtarum, an-
 tiquitùs latè dominantium populorum, Phingaleis
 monumentum insigne, quod omnis, qui mentem
 humanam, diversis se plagis ac temporibus expli-
 cantem, avidissimè rimatur philosophus, inspiciat;
 et, quicumque poëseos est studiosior, volutare velit.
 Quamobrem in id me contuli totum, ut, nondum
 pro dignitate sat fideliter nitidèque evulgatum,

hoc poëma redderem Latinè, versuumque per-scriptum illecebris undequàque emitterem. Quod itaque proposui tertium, nunc absolvendum; dicendumque superest quid de optimà sentiam interpretatione, Latinisque condendis versibus.

III.

Quod ad primum attinet, facem praetulêre mihi lucidissimam M. T. Ciceronis verba, quibus Orationes, quas duo Athenarum spectatissimi Oratores in alterutum habuerant, convertisse ex Atticis se testatur. Sic enim loquitur is in egregio suo opere de Opti. G. Orat. n. 14. Converti ex Atticis —nec converti ut interpres, sed ut orator, sentiis iisdem, et earum formis, tanquam figuris, verbis ad nostram consuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere; sed genus omnium verborum vinque servavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, sed tanquàm appendere.

De convertendis aliundè non eadem tamen est mens hominum. Sunt, qui aliena totidem verbis cupiant reddi; torquent alii, evertuntque adeo, ut vix tandèm exemplar agnoscat. Utrumque vituperandum: hoc, siquidem, quam quaerimus interpretationem, ipsius exemplaris imitatio est in sententiis, ac simillima imago: illud porrò facilis, qui sapit, fatebitur. Est suum unicuique genti symphoniae genus. Hoc magno cum animorum motu pertentat cujusdam aures; ab aliâ iners et absonum putatur, ideoque rejicitur. Sic apud Caledones quaedam invenitur vocum natio, quâ ipsi ob longum communemque delectantur usum. At, si ex proprio tranferatur solo, totidemque enuncietur vocabulis, quae, à semet soluta, idem significant, ut insulsa prorsùs, et cum stupore, excipietur. Idem de omnium populorum dicendum est eloquio, quod, uti notissimum, non est cur illustrare nitar. Quae-rendos igitur intellexi eos mihi esse pulchellos dicendi ambitus, qui saperent Latium, scriptoresque adeundos principes, qui Romae, sub Augusti tempora, floruerunt.

Rotundo eloquitur Ossianes ore ; sed, prae Latinorum, admodum abrupta est ejus loquela. Hinc copulationes adjeci transitionesque artis nitidae. Nonnulla item praetermisi leviora adjuncta ; sententiolamque semel atque iterum miscui aptam, cum id res postularet mea. Nec ullum indè Ossianis mens detrimentum patitur.

Quae secum agitât poëta, circumstant, atque informant, animantque ipsiusmet versus. Abjiciantur hi, continuo vivida vis carminis diffugit, deliciaeque, quibus tenebamur. Superest solummodò elanguens exanimum corpus. Constat id Homeri et Virgilii exemplo, aliorumque poëtarum, quorum pulcherrima opera, versibus spoliata suis, in aliam totidem nudè sententiis linguam convertuntur. Unde fiat non equidem quaero : sat id experiētiam comprobatur. Quapropter versibus extuli Phingalèiden ; eoque usus sum numero, quo placuit Romanis heroum fusiùs celebrare facta.

Ossianis autem versus latissimè discrepant ab iis,

quibus arma virumque suum prosequitur Virgilius. Sunt etenim brevissimi ; primus tertiusque ob quandam vocalium litterarum, quibus immoratur vox, similitudinem consonant sub finem ; quisque completum plerùmque prae se fert sensum, facilique cursu delabitur. Quin Gaëlica lingua multo est Latinâ expeditior. Nil dactylos curat, aut spondeos, aliosve, quos noverim, pedes. Dissolvendus itaque mihi erat versus Ossianis, novusque condendus, qui tamen exemplaris innatâ progredereetur indole. In id ergo incubui, ut, priore Ossianis veluti pessundato corpore, in illo, quod ipse denuò creavi, eadem omnino esset materies, pulcherque ordo ; idem ubique robur, atque majestas ; eadem lacrymabilis facies, eademque per omnes infusa mens artus ; ut idem denique Ossianes, Romanorum donatus civitate, ipsorumque apprimè edoctus linguam, sua carmina Virgilio in morem modularetur,

Immense prorsus labore, novoque ingenii acumine fingendi sunt Latini versus : agendumque veluti, si ex durioribus undique conquisitis lapillis,

variosque indutis colores, ac mirè compositis, vitam spirans imago, atque in aevum duratura, conficiatur. Si quis in syllabarum brevitatem longitudinemve non peccet, versumque senis concludat pedibus, purisque verbis, haud multum praestat. Culpam evitat, non meretur laudem. Quoties ritè diducitur versus, efficitur verborum sonus, qui, cum gravibus temperans acutos, concentum imitatur, creatque. Interest quo quaevis res ordine locetur: ad sedis, quae quarta est, primam syllabam attollitur vox, magisque ferit. Eo igitur est loci quidquid in versûs decursu talem pro suâ dignitate postulet contentionem. Ubicunque item vox haeret, id illic ponitur, quod moram admirationemque conficiat sui. Hanc nunquam violat legem Virgilius.

Nec satis est quemvis seorsim nitere versum, ni, sicut sequentibus aliquantulum concinit, sic quoque ab illis discrepet ob alia; quo fit ut mira jucundaque sonorum enascatur varietas. Componitur hinc versus, qui ad finem usque enunciatur, nullâque morâ impediatur: alius in varia caeditur frusta,

quorum alia majora, alia minora sunt; hisque immoratur vox, variis uti stationibus.

Tantae molis erat Romanam condere gentem!
 Vix e conspectu Siculae telluris in altum
 Vela dabant laeti, et spumas salis aere ruebant,
 Cum Juno, aeternum servans sub pectore vulnus,
 Haec secum. Mene incepto desistere victam,
 Nec posse Italiâ Teuconum avertere regem?
 Quippè vetor fatis.

ÆN. L. 1.

Quae suis sunt locis longiora vocabula, optimas adferunt caesuras, morasve; praesertim si spondeis abundant: quod ex his Virgilio versibus continuò percipimus.

Luctantes ventos, tempestatesque sonoras.

ÆN. L. 1.

. Dona recognoscit populorum, aptatque superbis

Postibus.

ÆN. L. 8.

Binis non incongruè concluditur versus spondeis, ubi res magna, vel lugubris, stuporemve ciens animi decantatur.

Chara Deum soboles, magnum Jovis incrementum. ECL. 4.

Sic etiam de noctuâ dicebat idem Virgilius.

Quae, quondam in bustis ac culminibus desertis,

Nocte sedens, serum canit importuna per umbras.—ÆN. L. 12!

Nec aliter de capto, coràmque adducto Sinone :

Namque ut conspectu in medio turbatus, inermis
 Constitit, atque oculis Phrìgia agmina circumpexit. ÆN. L. 2.

Versus, unius syllabae conclusus voce, ingentem
 habet vim.

Insequitur cumulo praeuptus aque mons. ÆN. L. 1.
 Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
 ÆN. L. 5.

Venustè suspenditur sententia :

Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
 Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
 Velle videmur, et in mediis conatibus aegri
 Succidimus. ÆN. L. 9.

Si, queis utitur poeta, vocabulorum sonus per-
 bellè, quas tractat, rebus assentiat, ut harum re-
 missa quaedam vox, alius inde salit varietatis fons,
 vivaque versûs gratia.

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
 Increpuit. ÆN. L. 9.
 Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
 ÆN. L. 8.
 Accipiunt inimicum imbrem rimisque fatiscunt. ÆN. L. 1.

Quod grave est ac moestum, enunciatur spon-
 deis ; quod leve ac festivum, dactylis ; quod mol-

libus verbis ; quod asperum duriusque, asperis et durioribus. Indè nam resonant versus, qualiaquae dicuntur ; atque ita concinit passim Virgilius, ut unusquisque novit, qui ejus evolvit carmina. Ità Roll.

Sunt et alia, huc spectantia, quae fusiùs explicant, qui talia docent. Verùm haec missa facio, quandoquidem ad metam propero ; satque jam intelligitur, quales mihi praecipuas existimavi servandas leges, cùm in id operam contulissem meam, ut Ossianes, latinorum septus versuum blanditiis, legeretur. Fòrs autem videbor exlex ; fòrs in vatis Caledonii mentem, et sublime peccare ingenium ; fòrs in Virgilio magnum os numerosque. Hominis est, vel caventis, errare.

Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus et mens ;

Poscentique gravem persaepe remittit acutum :

Nec semper feriet, quodcunque minabitur arcus.—HOR. *A. P.*

Arduum ingressus sum iter: et voluisse multum est. Si, quod omine non fausto concupivi, non

effecero pro votis, de me dicendum, quod de Phaë-
tonte dictum est, qui solis conscenderat currum,

Quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

ORID. Met.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA,

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI PRIMI ARGUMENTUM.

Regius Hiberniae praefectus, Cuchullin, Semonis filius, ad Turam sedens, fit certior appulisse Suarena, Lochlinis, seu Scandiae regem; suosque convocat bellatores. Procerum consilio quaeritur quid agendum sit; admonetque Connal recedendum paulò, donec expectatus, suppetiasque venturus affuerit Phingal, Morvenis, Caledoniae rex. At, absque morâ, pugnandum contendit Calmar; atque haec Cuchullini potior sententia videtur. Tres ille, pugnandi certus, desiderat ductores, Feram, Duchomera, et Cabada. Accurrit interim Feras, et funus narrat Cabadis, Duchomeris, virginisque Murnae. Praemissus à Suarene explorator videt adventare Hibernorum copias; reversusque Cuchullinis currum, jugales, ipsumque adeò describit heroa. Committitur mox proelium, quod nocte dirimitur; incertaque errat adhuc victoria. Accersitur Suaren ad Hibernorum coenam, cui renuit is succedere. Decantat inde Carril Crimoris et Brasollydis amorem lethumque. Absentis uxoris, Bragellae laudes delibat Cuchullin. Locantur excubiae; sub dio sternit se somno exercitus; bello caesorum circumvolitant simulacra; miraeque voces audiuntur.

PHINGALEIS.

LIBER PRIMUS.

ARBORE sub patulâ, tractimque ciente sonorem
Frondeb, ad Turam* sedit Semonia proles,
Cuchullin †: juxtâque adnititur illius hasta
Pendenti scopulo; magnumque recumbit in herbis
Ære renidenti scutum. Quem fuderat armis, 5
Carbera dux animo repetit, cùm littore anhelus
Accurrit ‡ Moran, rumpitque has pectore voces.
Surge, age, Cuchullin; multas Aquilone profectas
Aspicio venisse rates; neu segnior esto,
Limina qui pandis felix adeuntibus hospes, 10
Instaurasque epulas et plenae munera conchae §;
Jamjam Suaren || adest ingens, ingentia duxit
Agmina trans pontum; completur milite littus.

* Nota, A. † B. ‡ C. § D. || E.

Caeruleis oculis contrà tum strenuus heros
Talia voce refert : non est tibi vivida, Moran, 15
Vis animi ; solitusque tremor nunc occupat artus ;
Utque reformidas, delatos aspicias hostes
Innumeros. Omnem, sate Phyttilè, pelle timorem.
Expectatus adest Phingal ; sociasque phalangas
Classe vehit secum bello vir maximus unus, 20
Qui regit imperio montes vallesque profundas.

Suarena Lochlineum, Moran ait, ore secutus,
Vidi equidem : rupesque immani mole videtur.
Montanam pinum decisis undique ramis
Illius hasta refert, plenamque sub aethera lunam 25
Surgentem clypeus. Saxoso littore sedit,
Incubat aërio monti ceu turbida nubes ;
Successique olli ; dixique, locutus ad aurem,
In tua te, Suaren, rex optime, bella sequuntur
Agmina multa virûm, ferro qui vulnera jactant 30
Aspera, cùm subeunt irae, cùm praelia surgunt.
Vèrum animis praestans, praestans et fortibus armis,
Major obit latè ventosam copia Turam.

Ille sub haec, veluti scopulis illisa reclamant
Æquora. Quem mecum tellus haec conferat unum?
Quos alit heroas, magnis quos laudibus effers, 36
Non me sustentare valent, non sistere coràm :

Altior insurgens ipsos mea dextera fundet.
 Anne unus mecum potis est contendere Phingal,
 Is pluviae dominus Selmae*, rex Morvenis† altus?
 Contulimusque manus sub Malmore‡; pugnaque
 totum 41

Nostra fatigavit montem; nemus undique sensit,
 Obnixis actum pedibus; vaga flumina cursum
 Mutarunt; rupes intentavère ruinam;
 Terque diem nobis saevumque aurora ređuxit 45
 Luctamen; neque adhuc spes ulla, quiesve dabatur.
 Spectatum admissi, fortes insignibus armis
 Contremuère viri. Quartâ cecidisse canebat
 Luce maris dominum Phingal; facinusque nefandum
 Ipse recusavi. Penitùs sub mente recondat 50
 Jam nunc Cuchullin sese mihi tradere victum:
 Nam me Malmoreis agitat vis acrior Euris,
 Cùm feror in bellum certus, gladiumque corusco.

Mene illi, Cuchullin ait, me tradere victum!
 Non ita, non homini cedam, qui vèscitur auris: 55
 Me quoque vis agitat; jacto cum turbine telum.
 Ibo victor ovans; notumve in saecula claro
 Me dabitur letho volitare per ora virorum:
 Tuque meam subitò, sate sanguine Phyttilis, hastam

* Nota, F. † G. ‡ H.

Corripe ; eâque feri, connixo corpore frendens, 60
 Cabadis magni clypeum ferrugine tactum,
 Grande decusquondam, partisque insigne triumphis.
 Ecce hastis pendet medius : non ille reportat,
 Dulce sonans, pacem, sed ineluctabile bellum.
 Praecipita ; bellatoresque à saltibus acci. 65

Innumeris clypeum bullis atque aere canoro
 Perculit *, et longè sonitus latèque vagatur
 Per colles vallesque cavas saltusque profundos ;
 Exiliuntque ferae, ripaeque lacusque resultant.
 Continuò sensit summâque crepidine rupis 70
 Laetum Curra dedit saltum ; celeberrimus hastâ
 Se rapuit Connal † ; tenuit nec caprea Favym.
 Torsit iter notae Crugal sub limina Turae.

Aure sonos clypei, Ronan, nova bella cientis 74
 Excipe ; tuque, Cluar, monitum, quo personat auras
 Cuchullin. Pelago cedens, huc dirige gressum,
 Calmar ‡ ; loricamque audax indutus ahenam
 Praecipita, Luthar ; dextrâ vir surge potenti,
 Phoenoidè ; Cromlâ§, Carber, reddente sonores, 79
 Labere ; ferque pedem, Fichir, liberrime princeps ;
 Carpe viam, Cormac, trepidis quem roscida rivis
 Lena tenet ; Morae || tumulos vallesque virentes

* Nota, I. † K. ‡ L. § M. || N.

Desere, Colta levis, pulchros et corporis artus
Candidior spumâ, summis quae volvitur undis, 85
Cùm saevus spirat Boreas, atque asperat altum.

Nec mora, continuò visi descendere curvis
Vallibus heroes, tenuit quos ardua virtus.
Ignibus ardebant olli, cùm fortia secum
Praelia versarent, lapsi quae temporis aetas 90
Miscuerat ; viridisque in torvum Phallidis * hostem
Lumina torquentes, districtis ensibus ibant ;
Fulgebatque manu ferrum, velut aethere fulmen.

Montis ut angustis praeceps è faucibus amnis
Volvitur, invicti delabebantur ab altis
Cotibus Erigenae †. Patris victricibus armis 95
Quisque sui micuit princeps ; quem pone subibat
Torva manus juvenum, sicut premit agmen aquarum
Fulgura. Semita quaeque fremit ; miscentur in unum
Armorum strepitus varii ; latratibus auras
Exercent catuli, saltumque sub aethera tollunt 100
Laetitiâ. Patrium heroes paeana canentes
Bella fremunt omnes, hostemque in praelia poscunt.
Idem omnes simul ardor habet: cursuque phalangum
Excita Cromla tremit. Turae prae turribus altis
Stant acies, sicut nebulae se caerula moles 105

* Nota, O. † P.

Monte, sub Autumnum, sistit, caput aethere condens;
 Concilioque ducum Cuchullin farier infit,
 Cormacis rector summus, rerumque magister.

Inclyta progenies, quam vallibus extulit Erin
 Gramineis, salve! Proceres salvete potentes, 110
 Quos juvat alipedes agitare per avia cervos
 Culmina! Majus opus nobis, en! nascitur ultrò,
 Suaren adest; ipsi versas ad littora puppes
 Respicitis, totumque allabi classibus aequor.
 Pellemusne hostem? dabimusne per Erinis oras 115
 Suarena grassari dominum? Quid corde revolvis,
 Optime consiliis Connal, ductorque phalangum
 Acer, cùm suadet tempus confringere parmas?
 Saepius in torvas movisti castra cohortes
 Lochlineas alacer: num, quem pater antesolebat, 120
 Ocyùs attolles clypeum, bellumque ciebis?

Talia Cuchullin, placido cùm talia Connal
 Ore refert. Jactat certamine Connal acutum,
 Maxime Cuchullin, jaculum; mea sera voluptas,
 Fama, decusque fuit bello fudisse maniplos. 125
 Arma juvant; verùm, si praelia dira cupido,
 Mens aliud suadet, pacem, certamque salutem
 Erinis. Infestam, spes ô fidissima nostrùm,
 Aspice tu classem, radit quae littoris oram.

Fluctibus in summis pendet, premiturque vicissim
 Flamminibus, qualis sese *Legonia* * tollit
 Sylva per immensos tractus, sub vertice nutans.
 Quòd, si vel *Phingal* foret hîc, tam dispare rerum
 Sorte nec ipse quidem vellet committere pugnam,
Albineus † rector, *Phingal*, dux optimus armis, 135
 Bellantesque viros dextrâ qui dejicit omnes,
Praelia nimborum sternunt ceu graminis herbam,
 Turbida cùm tumulos replet plangoribus altos
 Cona ‡, nigroque poli velatur *Morven* amictu.

Non equidem pacem, non otia inertia laudo, 140
Calmar ait : *Cromlam Connal* nebulasque peragret:
 Illius hasta premat cervam, cùm *praelia* tempus
 Poscit, et heroum mediis fervere catervis.
Hinneolos maculis varios per devia montis
 Insequitor ; *Lenae* capreas confige sagittis.
 At, qui *Semonis* generoso es sanguine cretus,
 Quique unâ nostros, sociosque in *praelia* cogis,
 Disjice *Lochlinidas* ; findentes classibus aequor,
 Barbaricas evertè acies, ne concita velis
 Remigiove ratis tentet salis ire per undas. 150
 Saevus § ab *Erineo* consurgens littore ventus
 Asperet *Orcadicum* pelagus ; detortaque coelo,

* Nota, Q. † R. ‡ S. § T.

Tempestas sine more ruat. Me turbinis ira,
 Finibus à patriis raptum, detrudat ad umbras,
 Si rufos premerem cervos tam pectore laetus, 155
 Quàm casus in eo belli, quàm praelia tento.

Non ego, Mathaide juvenis, certamina fugi,
 Respondet facilis Connal: comitatus amicos,
 Hoc caput objeci circùm volitantibus hastis.
 Nec tamen arripui famam; victoria cessit 160

Clara mihi, comitum cessit consortibus armis.
 Quò tua te virtus, laudis quò gloria ducet,
 Ibis, Cuchullin. Jam verò respice regem
 Imbellem, puerum primis florentibus annis.
 Te penes imperium Cormacis * vertitur; in te 165
 Illius inclinata domus, soliumque recumbit.

Suarena muneribus cumula; pete foedera pacis,
 Dum veniat Phingal, lectosque ex Albine ducat
 Heroas secum, genus intractabile bello.

Si sedet ast animo validis contendere telis, 170
 Nil renuo: tecum stat casus ire per omnes;
 Sepositumque diu gladium, pilumque retracto.

Haec ubi dicta dedit Connal, mox talia ductor
 Addidit Erineus, certus decernere ferro.

Me juvat armorum crepitus, fortesque labores, 175

* Nota V.

Ceu fragor aethereus, verni praeunicius imbris.
 Erinis exurgat pubes, assueta triumphis
 Nobilibus ; fortisque cohors se se explicet omnis,
 Concita procursu rapido, per aperta locorum,
 Solis uti fulgor volat alto culmine montis, 180
 Cum pluvias torquent ventorum flamina nubes,
 Morveniaequae gemunt ingenti robore quercus.

Heus ! ubi nunc terni comites, ubi rebus in arctis
 Spes et praesidium ? Quid te, pulcherrime Cabad,
 Distinet ? Opraestans animi Duchomer in armis, 185
 Te quae nam tenuere morae ? men deseris eheu,
 Fera, cum tumeat circum me concitus amnis,
 Exultans animis inter convivium princeps
 Inclyte, virque omni fortis discrimine rerum !
 Galmare num properas, Rossae fidissima proles, 190
 Qualis capreolus, cervusve per avia montis ?
 Rossaide, salve ! tristi quid corde volutas ?

Dicam equidem, Cuchullin, ait : Cabada sepultum
 Bis bini signant Lapidem ; Duchomera terrae
 Ipsededi. Tenebristumuloquerecondite, Cabad, 195
 Solis uti fulgor, jactus sub colle, nitebas ;
 Tu belli, Duchomer, eras modo turbida nubes,
 Obsita fulminibus ; caeco te rupis in antro
 Somnus habet longus, virgo pulcherrima, Murna.

Occidit hoc decûs omne suis, ceû stella per umbras
 Procurrens ; queriturque, arcto qui calle viator 201
 Carpit iter, blandam coelo discedere lucem.

Da, tum Cuchullin, fortes quid funere mersit
 Heroas ? nunquid magnae post caedis acervos
 Occubuêre, feris infracti Lochlinis armis ? 205
 Quidve tenet tenebrosa domus, semperque tenebunt
 Magnanimos Cromlae proceres penetralia lethi ?

Haec olli Feras. Rivi plangentis ad undam,
 Sola ubi consurgit ramis ingentibus ilex,
 Æmulus exceptum gladio Cabada peremit 210
 Duchomer ; lucumque iniens vastamque cavernam,
 Conspicit ante oculos Murnam, cui talia fatur.
 Dic, age, dulce decus, Cormacis candida proles,
 Quidnunc hoc lapidum circo es, quid rupis in antro
 Sola ? gemit torrens, motatur maxima quercus, 215
 Æstuat, eccè ! lacus ; montana cacumina nubes
 Contexêre. Nivem, sparsam sub culmine collis,
 Ipsa refers candore novo ; tibi gratia vivax
 Ore sedet, virgo ; torti sine lege capilli 219
 Per collum volitant, ceu quae per saxea Cromlae
 Culmina palantur nebulae, purisque relucet
 Solis in Æstivi radiis sub vespere sero ;
 Exeris et pectus, qualis se subjicit auris

Æthereis, niveo surgens è marmore, rupes 224
Verticibus geminis Brannae spumantis ad undam.

Haec ubi Duchomer, contrà sic aurea virgo.

Unde venis, ductor? quae te sententia vertit?

Torvus eras semper; stant nunc tibi lumina flammâ.

An visus Suaren, pelagus qu'il mille carinis 229

Transvolat? an super hoste tibi quid venit ad aures?

Monte redux, inquit, caprearum arbusta relinquo.

Non visus Suaren, pelagus qui mille carinis [aures.

Transvolat: haud super hoste mihi quid venit ad

Tres jam dejeci cervos; tibi concidit unus

Cornibus arboreis ingens, velocior Euris, 235

O Cormacine, cui fulget in ore venustas,

Luce mihi dilecta magis, lectissima virgo,

Cui proceres uni fas debellare superbos.

Te mea, Murna refert, mens inplacabilis odit,

Duchomer; ciliis hirsutus es, asper et irâ; 240

Stat tibi corde silex duro. Pulcherrime temet

Unum Murna colit Cabad, te diligit unum.

Scilicet ut clivos, nebulis hinc inde fugatis,

Aurea lux solis, decorant tibi tempora crines. 244

An tibi, Duchomer, blandus sub montibus altis

Dux Arminiades visus, meus optimus ignis,

Aëriâque novus surgens ex arbore ramus ?

Illius opperior reditum sub rupe cavatâ.

Atqui Arminiadae, saevis qui ferbuit iris,

Opperiêre diu reditum, trux ore secutus 250

Duchomer clamat; gladiumque hunc aspice acutum,

Caede cruentatum juvenis: spes pascis inanes.

Huic ego votorum summae capitique tuorum

Magnum constituam tumulum, lapidemque sub

auras. 254

In me nunc oculos mentemque animumque benign-

Chara viri soboles, clypeos in bella moventis, [num,

Verte; mihi gliscit virtus; mihi robore praestat

Dextera, ceu summos ferientia fulmina montes.

Occubuitne, inquit prorumpens illa querelis,

Filius Armini? vitamne per avia fudit 260

Ante alios niveo pulcher dux pectore, notus

Venandi studio, certusque secantibus undas

Hostibus objectare caput? Nimis ipse nigrescis,

Caede madens, inimice atrox mihi: porrige ferrum

Sanguineum: magno teneor Cabadis amore; 265

Me juvat et sanguis, diro quem vulnere fudit.

Porrexit gladium lacrymis nîl praescius heros;

Illiusque latus telo imperterrita fodit

Murna. Sui cecidit fractus bellator ad undas
Fluminis ; extendensque manum, sic ore profatur.

O, quam caeruleis felix umbonibus heros 271
Progenuit, Cormac, mihi primo tramite, Murna,
Truncasti famam : procerum votumque, decusque
Dulce, riget saevum defixum corpore ferrum.
Tu me, tu, virgo, Moinae me redde decorae, 275
Somnia cui reddunt sua me, nigrantibus umbris :
Illa mihi statuet molem ; molemque videbit
Venator ; vivetque meum per saecula nomen.
Torqueor ; ah ! rigidum, virgo bona, subtrahe telum.

Murna subit, nectitque moras lacrymansque ge-
mensque. 280

Expedit ille ferum connixus viribus ense ;
Jamque sinum nympphae miserando vulnere pandit.
Illa* cadit ; terrâque jacent sine lege capilli ;
Quâ data porta, ruit subito cum murmure sanguis ;
Purpureo tingit rivo se dextera ; versat 285
Funere se virgo ; gemitum spelunca remittit
Extremum fato tenues abeuntis ad Umbras.

Proh facinus ! clamat, belli quem summa gerendi
Stat penes : aeternùm compostâ pace quiescant
Magnanimi proceres, fortesque per omnia telis. 290

* Nota, U.

Inde meas utinam comitentur passibus aequis
 Hi bigas ; tenuesque horum sub imagine formas
 Radere iter videam, cursu cum nubila tranant ;
 Vivida visque animi medio flagrante tumultu
 Gliscet ; uti vastum tonitru, mea dextra vigebit. 295
 Advenias, niveâ lunae tu luce refulgens,
 Murna, sub obscurum noctis, cùm lumina fessus
 In somnum condo requiemque, silentibus armis.

Protinùs aere reidentes densate catervas,
 Ductores primi ; coëatque exercitus omnis. 300
 Adjungantur equi ; da binas, armiger, hastas ;
 Jamque effer laevâ clypeum. Praesumite bellum,
 Erigenae, cursuque meos aequate jugales.
 Pergite ; mens mihi flagratovans, ubi praeliasurgunt.

Dixerat : utque ruit Cromlae de cotibus altis 305
 Turbidus indignans spumanti flumine torrens,
 Cùm crepitat tonitru, cùm plurima noctis imago
 Imminet, ac pluviae rutilant sub margine nubis
 Fulminibus misti Lemures, non secius acris
 Terribilisque acies, densis glomerata catervis, 310
 Erupit. Ductor sese, Cuchullin, agebat,
 Haud secùs atque ingens balena sequacibus undis
 Luxuriat, viresque suas, ceu flumina fundit.
 Intremuit littus ; liquidasque hausère per auras

Lochlinidae fremitum, qualis sub frigora Brumae
 Fluminis est longè plangor ; clypeoque sonoro 316
 Signa dedit Suaren ; juvenemque, Arnone creatum
 Astantemque sibi, compellat vocibus istis.

Auribus excipio fremitum, prout vespere murmur
 Saepiùs audiui culicis : venit aspera proles 320
 Erinis, aut mediis sylvis immurmurat Euris.

Necsecùs antegemit Gormal*, quàm fluctibus altum
 Aestuet. I, superaue jugum, nec segnior esto,
 Arnoide ; sylvas, aversumque inspicere collem. 324

Prosiluit, revocatque gradum formidine praeceps,
 Intorquetque oculorum orbem ; quatit ilia anhelus ;
 Orsus inops animi turbatis vocibus hiscit.

Surge, age, rex pelagi domitor, dux inclyte parmis:
 E clivo genus Erineum ductorque superbus
 Praecipitant, sicut spumanti flumine torrens ; 330
 Advolat immensum sparsurus ubique locorum
 Fervidus exitium † currus Cuchullinis acris ;
 Pulcher et est visu. Retro se fingit in orbem,
 Fluctus ut impactus scopulo ; vel caerula nubes,
 Convexo recubans colli ; gemmisque coruscat, 335
 Nil secùs ac multo pontus ruere igne videtur,
 Nave repercussus nocturnâ ; lentaue taxus,

* Nota, X. † Y.

Arte polita, praeit temo ; nitet ossea sedes,
Advehit ac clypeos ensesque hastasque virosque.

Cernitur ad dextram, generoso sanguine fervens,
Fuscusequus, tergoque nitens, Sifaddaque dictus 336
Erigenis. Fremit ille ; jubamque subaethera quassat,
Arduus ostentans pectus ; passuque superbit,
Insultatque solo : pulsu gemit excita tellus.

Funditur huc illuc summo coma vertice, ceu quae
Palantur nebulae deserta per alta ferarum. 341

Parte sub adversâ cervicem torquet in arcum
Dusronnal ; repletque ferox hinnitibus auras.
Huic tenuis juba, vivida vis est, ungula fortis,
Pes alacer, nasus maculis insignis et albo. 345

Montibus in patriis generatos, aetheris aura
Purior hos intùs miris agit ignibus ambo.

Ardua radit iter centumque coërcita vinclis
Haec nova bigarum facies, nova machina belli.
Ore citatorum spumantia fraena relucet 350

Quadrupedum ; luduntque altè per colla per armos
Gemmea lora. Ruunt bijugi per aperta locorum,
Concita flaminibus veluti secat aethera nubes :

Nam cervi feritas, aquilaeque est impetus illis
Præcipitans ; cursuque fremunt, velut horrida grando
Gormalis in clivis crepitat sub frigora Brumae. 356

Stat curru, clypeique effert insigne decorum
Maximus ille armis ductor, Semonius heros,
Quem numeris tollunt hinc usque ad sidera vates.
Enitet os olli, ceu, quae torquetur in arcum, 360
Haec, elata mihi dextrâ, nitidissima taxus ;
Impavidique oculi furvos tenuesque sub arcus
Vertuntur ; rutilantque comae, passaeque vagantur
Os humerosque super, siquando concutit hastam.
Diffuge, rex, oro ; ductori vertere tergum 365
Nil dubita, saevi properat qui turbinis instar.

Talibus inde sonis accensas aggerat iras,
Impatiens animi, dominator Lochlinis altus.
Da quando, ratibus pontum qui mille peragrat,
Terga dedit Suaren ? quaenam discrimina fugit 370
Magnus parmarum dominus, Starnonia proles ?
Omnem sustinui rabiem coelique marisque
Turbinibus medius mediusque boantibus undis ;
Fortia sustinui fortis certamina, cur hunc
Extimeam casum, dic, ô, cui dextera friget, 375
Arnoide, bello ? Mea surgite millia coràm :
Irruite in medium, fremebundus ut aequoris aestus,
Turbida cùm subitum detorquent nubila flatum ;
Vestrum, Lochlinidae, noti sublimibus armis,
Circumstate globus regem, ceu Lochline rupes 380

Littoreae perstant, pinosque ad sidera tollunt,
Flamina cùm terras verrunt coelumque profundum.

Haec ubi dicta, velut dextrâ laevâque remugit
Horrificum Autumni tonitru, clamoribus ultrò
Cuchullin pugnam Suarenque hinc inde lacesunt ;
Quoque ruunt cursu trepidi de montibus amnes, 386
Hostiles coëunt acies, certare paratae ;

Duxqueducem, lectamque cohors clypeata cohortem
Aggreditur; stridetque chalybs; galeaeque faticunt.
Fervet caede locus: nervo pulsante sagitta 390

Crebra volat; vibrata cadunt hastilia passim;
Ensibus exiliunt, piceis ceu nubibus, ignes.
Ut fremit * Oceanus vastis surgentibus undis,
Utque tonat coelum mugitibus, obstrepit armis
Undique planities: totum fragor aethera complet;
Astiterintque licet centum, queiscopia fandi, 391
Cormacis vates, oculosque per omnia ferrent,
Dicere vix possent diducto carmine caedes.

Namque animas unà posuit vulgusque, ducesque
Innumeri: fuso manabat sanguine Lena †.

Fingite nunc elegos, Sittallina dicite, vates: 395
Fortis erat, fortes ducebat in arma catervas.

* Nota Z.

† Sic dicebatur planities, ubi pugnatum est.

Effundens niveo suspiria pectore, tristes
 Da lacrymas, E^vir, Ardano, quem fervida virtus
 Transtulit ad bellum, quem non tamen inde reduxit.
 Hos, veluti geminas deserta per avia cervas, 400
 Stravit humi Suaren, mediis ubi millibus ibat,
 Sicut, nube sedens gelidoque Aquilone profectus,
 Navita * nimbosum rapido secat aethera nisu,
 Despicit ut moerens, periit queis naufragus undis. 405
 Neve quiescebas, ductor, cui roscida servit
 Insula: namque tuum victrici limite telum
 Ferbuit infestum, vastat ceu fulminis ira,
 Cùm populi latè procumbunt vallibus imis,
 Et montes avidâ collucent undique flammâ. 410
 Ibat Dusronnal, fremituque è naribus ignes
 Efflabat: celerem lavit Sifadda cruore
 Ungulam in undanti. Bellantes pone jacebant,
 Victus ut ad Cromlae torrentia flumina lucus,
 Cùm sine more furit turbo, circùmque vehuntur 415
 Horrendi Lemures, et coelum questibus implent.
 Pectore sub molli luctum gemitusque cieto,
 Rupe sonante sedens † virgo, quam respicit unam
 Insula dives opum, longis loca foeta carinis:
 Huc adverte oculos, Genio tu purior illo, 420

* Nota a. † b.

Qui solis gaudet tumulis, clivisque superbus
Tendit iter, veluti, zephyris pulsantibus umbras,
Sole sub incerto sua lux vestigia signat.

Ecce tuus Trenar, Trenar, quem diligis, ictus
Volvitur in faciem magni Cuchullinis armis ! 425

Quid fugit ore color, subito quid frigore torpes,
Nympha decore nitens ? Non amplius ulla subibit
Principibus mistus Trenar discrimina belli.

Pallidus heu moritur ! Non illum exinde videbis.

Tristes exululant catuli pro limine ; tristes 430

Agnoscent domini tenuem sine corpore vitam ;

Quin nervo squalet nudatus inutilis arcus ;

Et vox it circùm lethi certissimus auctor. [dis

Haud secùs ac pelagus cum mille frementibus un-
Irruit in littus, vasto premit agmine Suaren 435

Erigenas ; sicut nil novit cedere littus

Pulsanti pelago cum mille frementibus undis,

Erigenae perstant acres ; atque ictibus ictus [tum.

Ingeminant ; clamorque oritur, gemitusque caden-

Ferreus it stridor ; scutorum fragmina campus 440

Totus habet galeasque cavas et inutile telum.

Quâque micat dextrâ gladius, velut aethere fulmen ;

Discurruntque acies, strepitantque, ac vulnera mis-
cent,

Ceu centum centumque unà, fornace recoctum, 444
Brachia procidunt ferrum, flammisque rescludunt.

Hi quinam gemini*? queisnàm frons induit atram
Bellandi studio nubem? queis aereus ensis

Fulget, ut ardescens ignis super aequora ponti?

It tumulis fremitus magno turbante tumultu, 449

Pendentesque tremunt scopuli, littusque resultat.

Anne ratum dives Suaren, Cuchullin et asper,

Erineus ductor, ductor, quem gloria fulcit?

Hos totis acies animisque oculisque sequuntur

Heroas: coeloque ruit, bellantibus ollis,

Humida † nox; dubiis victoria passibus errat. 455

Sub Cromlà Dorglas, tumulique cacumine, densis
Arboribus circùm clauso, congegit opima

Corpora cervorum, primo quos mane juvenus

Straverat, expatiata jugis lustrisque ferarum. 459

Jam centum juvenes flammarum pabula carpunt,

Convectantque ulnis; igni bis quinque ministrant;

Ordine quos ponant patulos de more treceni

Perquirunt lapides; centumque in mille ferinam

Frusta secant; latè fumant convivia castris.

Interea surgit, longamque innisus in hastam, 465

Optimus ille virùm ductor, Semonia proles,

* Nota, c. † d.

Egregium, Phoenae cretum de sanguine, vatem,
Talibus alloquitur longaevum Carrila dictis.

Quid, venerande senex, luxu mihi coena paratur
Regifico, duris cùm stet rex asper in armis 470

Littus ad Ullineum, dapibusque accumbere laetus
Pinguibus haud valeat? Saltu nam dissidet heros
Gormaleo, longèque suis modo turribus altis.

Ergo, age, nuncius i noster; placidèque locutus 474
Huc accerse ratum dominum. Dic littore cedat

Æquoreo, coenaeque * velit succedere gentis,
Quae struit ex animo convivia larga benigno.

Ignavam, sylvae sub amico tegmine, noctem 478
Transigat: en! Boreas gelidâ qui Lochline prodit,
Littore bacchatur; miscetur murmure pontus.
Hic curas relevet fidibus cantuque sonoro.

Mox abiit molli Carril sermone disertus,
Et, ferrugineas cogentem in praelia parmas,
Affatur regem, dictisque accersit amicis.

Continuò stratas aprorum desere pelles, 485
Maxime rex, servit cui sylvis obsita Lochlin:

Littore cede maris, lucumque accede silentem.

Obstrepat hic Boreas; miscetur murmure pontus.

Caeruleis oculis ductor, Semonius heros,

* Nota, e.

Munera dat conchae felix ; convivia curat : 490
 Hospes adito ipsum, dapibusque accumbe paratis :
 Excipe dulce melos citharae cantumque sonantem.

Nuncius haec Carril, contrà rex talia Suaren
 Ore refert tumido, sicut caecumque fremensque 494
 Redditur â Cromlà murmur, cum turbida surgunt
 Flamina : deveniant omnes licet agmine magno
 Phalliades, formâ notae viridique juventâ,
 Protendantque manus niveas, et pectore mollem
 Effundant gemitum, meque undique et undique
 Caeruleis lustrent totum votisque precentur, [ocellis
 Hîc stabo, sicut solidae stant Lochline rupes,
 Nil ego dimotus, donec lux aurea solis,
 Affulsura neci Cuchullinis, adsit ab ortu*.
 Me juvat et Boreas, mediâ qui Lochline prodit,
 Ac vastas pelagi reboantes asperat undas ; 505
 Affatusque meos rauco stridore rudentes,
 In mentem revocat subeuntes aethera sylvas
 Gormaleas, viridi passim quae vertice nutant.
 His mea nam mediis aprorum sanguine cuspis 509
 Saepiùs immaduit. Properet mihi reddere victus
 Munera Cuchullin ; Cormacis dedat habere
 Protinus antiquum solium, quod millia circùm

* Nota, f.

Fulgentùm vallant clypeùm; vel Phallidis omnes
 Primo ego congressu terras fluviosque capessam,
 Exsuperans virtute meisque horrentibus hastis. 515

Dira, redux inquit Carril, canit omnia Suaren,
 Asperior ponto, nec dictu affabilis ulli.

Dira* sibi rebusque suis, Semone creatus
 Addidit, ille canat. Dulcem sub sidera vocem
 Tolle, senex : lapsi tacitum dic temporis aevum. 520

Cantus agat noctem ; praestet sua gaudia luctus :
 Nam celebri virtute viros, formâque puellas,
 Finibus alma suis plures tulit insula Phallis ;
 Demulcentque animos dicunt quae carmina fortes
 Albinis heroas, siquando cessat abactum 525

Venandi latè studium, saltusque silesunt,
 Ossianesque canit, montanaque culmina tractim
 Responsant, querulis Conae salientibus undis.

Tum Carril, dicto parens, ita farier inquit.
 Littore Hyperboreo, priscis labentibus annis, 530
 Copia magna virùm viridantis ad Ullinis† oras,
 Fluctibus insultans, devenit mille carinis.
 Nuncia fama ruit ; jamjam se fervida movit
 Phallensis pubes ; hostilibus obvius armis
 It Carber, Crimorque virùm pulcherrimus unus.

* Nota, g. † h. ‡ i.

Hi taurum ob niveum, tondentem Gulbinis† herbas
Ignibus ardebant irarum ; fatifer ensis [natur.
Strictus utrîque micat, pugnamque necemque mi-
Namque sibi taurum Crimor, sibi vindicat alter.
Alter at alterius lateri comes additus astat ; 540
Bella gerit patriae ; campo stat victor aperto ;
Conversusque fugâ notum petit advena pontum.
Hos pietas, hos prisca fides, concordia, vinxit
Magnanimos juvenes ; nec erat cui charior ullus.
Heu! quid Gulbineis reboavit taurus in herbis? 545
Hunc vidêre jugo procul è regione viarum
Ire, ferusque reedit dolor, altâ mente repostus.
Lubaris ad lymphas ineunt certamina ; vitam
Cespite gramineo fundit cum sanguine Crimor.
Inde domum rediit Carber, repetitque sororem,
Fundere dulce melos solitam Brasollyda circùm.
Tum quoque, quem tacito* sub corde fovebat aman-
Crimora carminibus dicebat ; diraque telo [tem,
Praelia miscentem, lacrymis plorabat obortis ;
Attamen ex acie reducem pia vota vehebant ; 555
Marmoreusque sinus, tenui velatus amictu,
Exultabat, uti mediis vaga Luna per umbras
Nubibus erumpit, purâque in luce refulget ;

* Nota, j.

Vox citharae fidibus mulcebat gratior aulam, 559
 Versibus immiscens curas humilemque pavorem ;
 Fronte nitescebant oculi, quibus ignea cedunt
 Sidera. Da quando venias, dux acer in armis,
 Illa querebatur, reddit cum talia Carber.

Excipe quam gessit Crimor certamine parmam,
 Alma soror ; facitoque omni rubigine purum 565
 Pendeat è tigno spoliū hoc, mihi fama perennis.
 Nympha, dolore gravis, singultibus ilia tendit.
 Purpureus fugit ore color ; lymphataque tectis
 Egreditur, carpitque viam, ripamque requirit
 Lubaris. Aspiciens supremo funere mersum 570
 Quem coluit juvenem, gemitu praecordia rumpit.
 Hic * recubant ambo, Cuchullin ; lentaque taxus
 Composito dudum terreno ex aggere surgit.
 Littus ad aequoreum formâ superante refulsit
 Brasollys, Crimorque unâ post saxa jugorum ; 575
 Vestraque servabunt memori sub pectore vates
 Nomina, dum fluet alterno cum gurgite pontus.

Finiit ut Carril, mulcet tua gratia fandi
 Me vivax, Cuchullin ait ; cantusque sonorus, 580
 Talia quo reseras, decursis condita saeculis,
 Advenit, ut placidus manans è nubibus imber,

* Nota k.

Cùm Sol est coelo, virides cùm despicit agros,
Umbræque radit iter clivis, zephyrique tepescunt.
Nunc age, Phœnaide, leni nunc pollice nervos 585
Argutos pulsa ; Bragellam concine, nympham
Pectore candenti, nympham, Duncscacidis aedes
Luce serenantem vultûs oculisque benignis,
Quam tenuit populis ducibusque habitata superbis
Insula, cùm memet dederim sub littore vento ; 589
Quamque mihi, decoris primævo flore virentem,
Moribus et facilem, sociavit foedus amoris.

E scopulo nunquid vultum protendis honestum,
Sicubi prospicias summo mea carbasa ponto ?
Te fallit pietas ; solam namque aspicias undam : 594
Spumeus haud fluctus ratis est, quam tota requiris.
Tu modo cede loco : nox est ; tua tempora circum
Aura fremit montis rigidi. Non ipse revertar,
Dum saevus belli campo subsederit aestus.
Fortia * dic, fortis Connal ; quam corde recepi,
Mente abigas, oro, generatam sanguine regum, 600
Egregiam formâ sponsam flavisque capillis,
Sorglani sobolem, famâ super æthera noti.

Inde bonus Connal : sylvam custodia solers
Occupet, ac caveat ne quid meditentur iniquum

* Nota l.

Lochlinidae. Requiem porrò te poscere pacis 605
Ipse quidem repetens iterumque iterumque monebo,
Huc dum pertulerit lectos ex Albine Phingal *
Heroas secum, dux insuperabilis armis.

Jamque dedit signum clypeo ; vigilesque frequen-
Corripuère viam ; somno se stravit et agmen [tes
Sideribus subter mediisque humentibus auris ; 611
Magnanimùmque ducum bellosimulacra peremptùm
Grandia per Lenam nabant, perque aethera nubes.
Vox quoque per lucos atque alta silentia caecis
Striduit in tenebris, casusque necemque canebat†.

* Nota *m.* † *n.*

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI SECUNDI ARGUMENTUM.

Diversus paulùm à suis, procubuit Connal: somnoque deditus, videt, primo caesi praelio, Umbram Crugalis, quae cladem Hibernorum praenunciat ingentem. Excitus id visi enarrat Cuchullini; ipsumque hortatur ut bellum cum Suarene componat. Nihil hoc Cuchullin viso movetur, famae studiosissimus, et, quas multo mane proposuerat Suaren, indignatus pacis condiciones. Jam pugnam Carril accendit carmine. Dubio decertatur Marte, donec, in fugam converso Grumale, cedit ex acie Hibernorum exercitus. Suorum curant receptum Cuchullin Connalque. Fugientes in vicinum collem deducit Carril. Phingalis conspicitur classis; noxque supervenit. Tristior ex infasto certamine Cuchullin Ferdae caedem, sibi conjunctissimam, et à se paulò antè mactati, incusat, ut tanti causam exitii. Ne autem, qui dilectos sibi, utcùnque, trucidassent, omnes idèò adversâ uti sorte videntur, Comalis et Galvinae historiam profert in medium Carril.

PHINGALEIS.

LIBER SECUNDUS.

ARBORIS ad truncum, quae longis aruit annis,
Procubuit rauci Connal sub margine rivi ;
Muscosoque caput lapidi dux credidit almus,
Fusus humi. Fuscum locus undique et undique
amictum

Tristior induerat, noctisque fremebat euntis 5
Questibus. At, quamvis diversus ab agmine toto,
Nil metuit ductor validis exercitus armis ;
Cumque daret placidam fessus permembra quietem,
Longum ignis vidit succedere culmine tractum
Montano ; mediusque * astabat fulgure Crugal, 10
Qui cecidit claris nomen virtutibus aequans.
Hunc etenim, belli miscentem praelia, fregit
Armipotens Suaren. Qualis vaga Luna per aethram

* Nota, A.

Occiduam, toto vir palluit ore, recinctas
 Indutus nebulas ; montis prout faucibus ignes, 15
 Colluxêre oculi flammis ; sub pectore vulnus
 Sanguineum patuit, velut ingens rupis hiatus.
 Quae te, Connal ait stupefactus, cura remordet,
 Gegalide, patriis venator maxime clivis,
 Bellatorque asper ? Quântum mutaris ab illo 20
 Crugale, qui clypeos inter gladiosque coruscos
 Nîl usquàm turbatus erat, nîl palluit unquàm.

Ille latet partîm partîmque recluditur umbris,
 Illacrymansque manum ductori porrigit ingens
 Ingentem ; luctansque animo se in verba resolvit, 25
 Qualis arundinibus mistis gemit Auster aquosis.

Nunc animus, Connal, tumulum meus occupat
 Ullineo gelidum torpet sub littore corpus ; [altum ;
 Extremùmque loquor fato, sate Colgare, tecum. 29
 Nec formam inde meam gressumque agnoscere quis-
 Mortalis poterit : referonam flamina Cromlae, [quam
 Exilesque umbras refero, quas nubila jactant.
 En quae me toto sub pectore cura remordet :
 Imminet heu Lenae nubes, clademque minatur !
 Caede cruentatam video procumbere pubem 35
 Erinis infaustae. Pandis qui limina felix
 Hospitibus, Lemurum sedes fuge nocturnorum.

Dixerat ; atque abiens liquidas evasit in auras,
Luna velut subitò sese post nubila condit, [gressum.
Cùm Connal: quid abis? fugientem comprime
Quò ruis, ô Crugal? coelestem discute flammam.
Hùc converte gradum, Cromlanae gloria gentis
Inclyta. Da quasnam sub montibus incolis aulas?
Quis viridans praebet collis, speluncave, sedem?
Quove loco positos somnus complectitur artus? 45
Flaminibusne * fremes mediisque loquacibus undis?
Quidnì, Gegalide Crugal, nova bella ciebis
Impiger? ah! Lemures infracti ad praelia torpent †.

Surrexit facili Connal sermone disertus ;
Armatusque adiit Cuchullina, et ocyùs orbem 50
Percussit clypei : clypeoque sonante per auras,
Excitus emicuit princeps asperrimus armis ;
Quidque, inquit, Connal, validis dux ictibus acer,
Ad me sub noctis requiem vestigia perfers?
In te si praeceps mea fòrs irrumperet hasta, 55
Angerer ex animo. Da quid sub corde volutas,
Colgaride? ceu qui radiis Sol omnia lustrat,
Mens tibi lucescit. Venit mihi rupis ab antro,
Alte, fatebor, ait, magni sate sanguine ductor
Semonis, Crugal flammato fulgure vectus. 60

* Nota, B.

† C.

Ut stetit ante oculos coràm, trans membra nitebant
Sidera: praetendensque manum, gemituque locutus,
Praescius exitium clademque instare canebat.

Hinc ego te, princeps, hortor componere pacem,
Teve tuosque plagis vel nunc subducere Lenae. 65

Ut stetit ante oculos coràm, trans membra nitebant
Sidera, suscipiens inquit Semonia proles :

Optime vir, Connal, dictu mirabile narras.

Quin cecinit cladem : sed, quí me pangere pacem
Hoc adigis monitu, si quid tibi perculit aures, 70

Ventus* erat, querulumque ruentúm murmur aqua-

Quòd si vidisti verè tu Crugalis umbram, [rum.

Quid tuus hùc ipsam strictus non egerit ensis?

An quam speluncam subeat, quasve occupet aulas

Haec hominis facies, mira haec sine corpore forma, 75

Est tibi quaesitum? Si queis modò sedibus hospes

Praescius accedit Crugal novisse liceret,

Ense minisque meis actus, quae pectore servat,

Nudaret: verùm nihil est quod plurima novit.

Substitit híc hodiè, collesque relinquere nostros 80

Temporis haud potuit spatium conclusus iniquo.

Unde igitur norit quae secum funera versat?

* Nota, D.

Excipit hîc Connal ; nec abest prudentia rerum.
Trajiciunt animae simulacraque luce carentûm
Nubila vi magnâ ; mediis per inane videntur 85
Flaminibus, clivosque colunt, antrisque residunt ;
Otiâque ut peragunt, vario sermone fruuntur,
Expediuntque hominum casus et funera fando.

Nîl moror, exclamat Cuchullin : funera quaevis
Expediant fando ; praeter Cuchullina mittant. 90
Suarenis haud ferrum metuo, nec littore cedam.
Quòd si summa dies et ineluctabile tempus
Institerint, ingens tumulus mihi surget ad undas
Æquoreas ; lacrymisque genas venator obortis
Imbuet ; aeternûm dicent me carmine vates ; 95
Pectore sub memori noctesque diesque fovebit
Sponsa decore novo, niveas exserta mamillas.
Ponere non renuo vitam, convertere tergum
Nescio : quippe * acie clarum clarumque triumphis
Me vidit Phingal. Peragis qui rupibus aevum, 100
Fac modo te videam ; coelesti lampade vectus
Labere ; pande meum coràm irreparabile fatum,
Attamen haud fugiam, venti per inane frementis
Accola. Quae geminas inter suspenditur hastas,
Percute Cabadis veterem, sate Colgare, parmam. 105

* Nota, E.

Nec mora, continuò, notae sublimibus armis,
 Erineae surgant gentes, pugnaeque parent se ;
 Jamque licet Phingal, nostrae spes magna salutis,
 Necdum deveniat ventosâ Morvene, certus
 Instaurabo acies omni discrimine rerum. 110

Per Lenam longè sonitus latèque vagatur,
 Ocyùs et surgunt horrentes aere phalanges
 Erineae, sicut cumulo praeruptus aquae mons,
 Cùm ruit Oceanus, Boreasque exasperat undas.
 Immani stant mole heroes ; telaque quassant, 115
 Brachia ceu quercus annoso robore, cùm fòrs
 Bacchatur glacialis hyems, et frigore frondes
 Exustae crepitant, ventoque hinc inde vehuntur.

Nubila canuerant ; tremuit super aequora ponti
 Clara dies ; nabat nebulae sed caerulea moles 121
 Erigenas* circum, totumque obtexerat agmen.
 Surgite, Lochlinidae ; mea jussa capessite raptim,
 Matutinus ait Suaren. Formidine capti,
 Erigenae cessêre loco : Cormacis ad arcem
 Te fer, Morla levis ; dic se, dic omnia victus 125
 Ille mihi dedat, populum ne cuspede laesum
 Excipiat miserum tumulus, perque Erinis oras
 Viribus absumptis hiscat vox nuncia cladis.

* Nota, F.

Exiliunt, veluti volucrum grex aequore surgit,
 Littora cùm subitus diverberat arcus aquarum; 150
 Conclamantque omnes; mugitque sonoribus aether,
 Sicut, per noctem ruptis ubi nubibus imbres
 Descendêre graves, plangunt sub luminis ortum
 Mille annes, torto commixti vortice Conae:
 Utque, sub Autumnum, clivi per devia tendunt 155
 Informes atraeque umbrae, quas nubila jactant,
 Excita flaminibus, laetumque arcentia Solem,
 Succedunt aliis alii. Vestigia figit,
 Ceu montanus aper, Suaren; torvùmque tuetur.
 Illius elatus laevâ vomit aereus ignes 140
 Flagrantes clypeus, sicut, nigrantibus umbris,
 Æthereum lustrans montana cacumina fulgur,
 Quùm silet omne solum, vastâ quùm luce coruscam
 Ire videt Larvam, tremefactus membra, viator, 144
 Oppositumque jugum nebulasque nemusque nitere.
 Missus at intereà luctantis ab aequoris aestu
 Ventus adest, nebulasque fugat, clivumque recludit;
 Erineumque genus, fulgens praestantibus armis,
 Conspicitur, qualem diductam littore rupem
 Navita prospectat, longis erroribus actus 150
 Cum saeviret hyems, cùm non tractabile coelum.
 Ito, age, Morla; subi clivum, rex Lochlinis inquit;

Conversisque fugâ montesque petentibus altos
 Fer pacis requiem, qualem do regibus orbis, 154
 Cum caput inclinant gladio, veniamque precantur,
 Virgineusque chorus lacrymarum flumina fundit.

Corripuit properè, generatus Spathare, magnus
 Morla viam; cursuque levis, fastuque superbus
 Erineum petiit ductorem, nube virorum
 Stipatum; rumpitque ferox has ore loquelas. 160

Accipe quam pangit qualemque paciscitur unam
 Rex pacem Suaren; leges simul excipe pacis,
 Quas dicit, postquam lectissima robora regum
 Corruerint acie. Fluvios camposque nitentes
 Erinis, uxoremque tuam, cervosque prementem
 Olli dede canem: Bragellam tradere ne tu, 166
 Cuchullin, dubita pulchram; gracilemque Luathum,
 Qui rapidos cursu rapido praevertitur Euros.

Talia te fractae poscit rex pignora dextrae:
 Cede viro, blandam si vis producere vitam. 170

Non ego, non cedo cuivis inglorius armis,
 Fortis ait ductor; referesque hoc, Morla, superbo
 Fuscorum domino clypeûm. Secet aequora Suaren,
 Illiusve excindam acies condamque sepulchris
 Erineis; lucemque novam Duncscacide nunquam
 Affulsura dies Hybernas afferet Arctos; 176

Sed neque Lochlineo surgens in cornua saltu,
Ullus anhelabit cervus vexante Luatho.

Tune igitur, bijugum demens agitator equorum,
Morla refert, audes iterùm concurrere regi, 180
Qui potis* est terram, belli quae suscitât iras,
Sedibus avulsam, propriis vectare carinis?
Neve facit pluris viridanti vertice colles
Erineos pelagi domitor, rex Lochlinis altus.

Haudopus† est verbis; victustibi, Morla, loquendo
Cedo equidem, nulli duro certamine belli, 186
Suscipiens Cuchullin ait, Semonius heros.
Stat pugnare manu: dominabitur‡ Erine Cormac
Supremus rector, dum spiritus hos reget artus.
Talia jactantem§ Morlam, vir maxime, Connal,
Audisti: laudasne iterùm me pangere pacem, 191
Bellipotens heros, frangis qui dura potentum
Scuta virùm. Vitam, Crugal, qui degis inertem,
Quò mihi dira canis, magnae quò stragis acervos?
Exiguae caecas aulae juvat ire sub umbras, 195
Carmina sublimem si me, si gloria tollat.
Erinis ô pubes, pubes assueta triumphis,
Arboreum torque pilum tenuesque sagittas.

* Nota, G. † H. ‡ I. § K.

Aggredere Hybernâ missas à Lochline gentes, 199
 Delapsae veluti coelo cum turbine Larvae. [vis

Jamque fremens densisque acies glomerata cater-
 Progreditur; nebulamque refert, quae valle sub imâ
 Cogitur in noctis faciem, cum nubila solem
 Eripiunt, latèque silet vel murmuris aura.

Ante suos rutilus praestans dux ibat in armis, 205

Coelestis veluti Genius nigrantia calcat

Nubila, flagrantés indutus fulminis ignes,

Turbineûmque manu ventorum flamina gestans.

Stat medius tumulo Carril; cornuque sonorum

Attollit dextrâ, fortemque accendere pugnam 210

Aggreditur, fundens animoso pectore carmen.

Hei mihi! quis, Crugal, gelidâ te morte jacentem

Cespes habet viridans? Non replet odoribus aulam

Concha tuam; violat vultum pia Crugalis uxor,

Contristatque domum gravibus nova questibus hos-

pes*.

215

Ecqua, decore micans, mulier procul impetu in hostes

Prorumpit medios? Tortis Dogrena capillis,

Crugalis ipsa uxor, teretes exserta mamillas.

Aurea caesaries olli stridentibus auris

* Nota, L.

Funditur, ignescunt oculi, vox faucibus haeret. 220

Ah! tuus aërio cervorum tramite Crugal

Expallet; scopulusque cavus tenet illius Umbram.

Nocte super mediâ petiit me pace jacentem;

Allapsusque aures parco fuit ore locutus

Instar apis, culicisve volantis vespere circùm. 225

Me miserum! Dogrena cadit, ceu lucida nubes
Ire recens orto per coelum Sole videtur.

Barbarus en lateri capulo tenus abdidit ense!

Deliciae procerum dulces, tot cura procorum

Occidit: ecce jacet, Carber, tua fama, decusque, 230

Filia, virga, decore virens, lectissima sylvae.

Except* voces Carber gemitusque per auras;

Utque ingens fertur balena sequacibus undis,

Irruit. Ante oculos crudeli funere natam

Aspicit extinctam: perrumpit millia solus; 235

Fulmineumque rotans mucronem, in Lochlina saevit.

Ingruit extemplò summi certaminis aestus

Hinc atque hinc. Quassant sylvam ceu flamina

Centenisque velut pinetum montibus ignes [centum,

Depascunt totidem, cinctae lethalibus armis 240

Vasta dabant acies, plagasque necemque ferebant.

Quà se cunque ferat Cuchullin, scinditur hostis,

* Nota M.

Carduus ut campi. Verùm premit Erina Suaren :
 Sternitur illius dextrâ, quae parcere nescit,
 Currac ; sternitur et Carber, fortissimus heros ; 245
 Stratus in aeternâ claudit sua lumina noctem
 Morlanus ; ponensque animam tu, Colta, tremiscis.
 Ecce tibi niveum rubefactum est sanguine collum,
 Disjectique jacent flavi tellure capilli.
 Quo ruit ille loco festas extruxerat ante 250
 Saepe dapes, citharam pulsavit saepe canoram,
 Quùm jam laetitiâ, quùm jam latratibus auras
 Implerent catuli, curvisque animosa juvenus
 Arcubus aptaret nervos. Se victor agebat
 Suaren, uti tumidum deserta per avia flumen 255
 Profluit, aggeribus ruptis ; fertque omnia secum.

Astabat medius Cuchullin Chrochmoris* instar,
 Aethereas findit summo qui vertice nubes :
 Irruit in clivos turbo, pinetaque quassat ;
 Rupibus insultat crepitanti grandine nimbus ; 260
 Saxeus at sese sustentat mole suâ mons,
 Frigoraque atque hyemem Conae convallibus arcet.
 Sic quoque Cuchullin, quâ visque ruinaque poscunt,
 Objectat sese clypeum tegmenque suorum ;
 Vulnoraque igeminat ; sequiturque à vulneresanguis,
 Fonte velut saliens tendit per gramina rivus. 266

* Nota, N.

At Lenæ campo mediisque vagantibus Umbris
 Erigenae pereunt, veluti nix sole liquescit,
 Pallidus et clamat Grumal : premit agmine toto,
 Pone sequens, Lochlin victrix. Quò statis, ut undis
 Lucus arundineus mistis ac turbine venti? 271
 Quâ datur ire viâ cervorum scandite clivos.
 Dixerat : et, qualis cervus formidine pressus,
 Proripuit sese ; passusque hastile regebat
 Sed, quicum pavido verterunt Grumale tergum, 375
 Exigui numero : saevissima bella moventes,
 Phalliadae fundunt calido cum sanguine vitam
 Pro Lenæ scopulo, surgit qui vertice ad astra.

Gemmifero vectus curru Cuchullin aperto
 Ire videbatur, stragisque ciebat acervos 280
 Undique ; conversusque inquit. Dux alme virorum,
 Aspera qui nostram docuisti praelia dextram,
 Defluxisse vides, Connal, certamine amicos.
 Nos acie extremâ saevum cohibebimus hostem,
 Vulnere miscentes. Vir longis obsite saeculis, 285
 I, Carril, quâ prima tibi fortuna salutis
 Monstrat iter ; tumulum nostros, age, defer ad istum.
 Hùc ades, ô Connal ; mecum sortire laborem,
 Si fòrs relliquias belli defendere detur.
 Emicat in currum ; clypeûmque insigne decorum 290

Eminet, ut miris orbem velata tenebris
Luna, superba soror stellarum, cedit ab ortu,
Sollicitatque novis mortalia pectora curis.
Hâc Sifadda ferox, illâc Dusronnal anhelat,
Exsuperans acclive solum : nam Lochlinis urgent
Agmina, ceu fluctus balenam ponè sequuntur. 296

Erigenae Cromlâ, celsam tollente sub aethram
Culina, se sistunt : referunt nemus ignibus ustum,
Quos noctis turbo, bacchatus collibus altis,
Sparsit atrox ; non jam zephyris motantibus ullae 300
Dulce sonant frondes ; non jam sub luminis auras
Sese subjiciunt rami. Vix unus, et alter
Hinc atque hinc, immani dissitus intervallo,
Assurgit stipes, flammâque nigrescit adesus.
Dux Semoniades patulae sub tegmine quercûs 305
Conticet ; atque olli fundunt vaga flamina crinem.

Phyttilis hîc autem gnatus, vir cursibus acer,
Postubi prospectum maris exploraverat omnem,
Affuit, ac dictis coràm nova gaudia miscet.
Classis, * ioclassis ! Phingalque, asperrimus heros, 310
Agmina in arma vocans, et scuta ingentia frangens,
Advenit : Albineae findunt vada caerulea naves ;

* Nota O.

Veliferi nutant mali sub vertice, qualis

Montanus lucus, palantia nubila lambens.

Tum sua Cuchullin sic alta silentia rumpit. 515

Insula, quâ non est tellus mihi charior ulla,

Nunc nebulis emitte tuis in carbasâ flatus :

Millia quò mactes propera, dux maxime bello,

Morvenis ô celsae rector, quem gloria cingit.

Me tua vela juvant, Phingal, rex optime regum, 520

Fulgur ut Eous ; classis, velut aureus alti

Vertice Sol fulgens coeli ; tu, sicut euntis

Maxima * flamma nigrae noctis, delata per orbem.

Qui struis ex animo convivia larga benigno,

Rebus in humanis nihil experiêris amico 530

Dulcius insigni, Connal. Nox humida clivos

Obsidet ; heu ! quâenam torquet nunc aequora

Phingal ?

Quodve subit littus ? Tenebrae considerare suadent,

Sidera dum coelo, Lunaeque refulserit orbis. 535

Irruit in sylvam ventus ; cum murmure manant

E saxis fluvii ; Cromlam petit imbribus aether ;

Trans ruptas trepidant ardentia sidera nubes.

Multa putans, rauci sedit torrentis ad oram

Erineus ductor, nec non et Colgare Connal

Progenitus, Carrilque gravis labentibus annis. 540

* Luna.

Me Cuchullin ait, magno Semone creatus,
 Usque adeò invisum, Connal, victoria fugit,
 Quandoquidem coeli jucundo lumine et auris
 Nudâram * juvenem, fato congressus acerbo :
 Quemque Amun genuit nulli virtute secundus, 545
 Ferda, tibi vinclum veri me vinxit amoris.

Dic, age, tum Connal, dic, ô Semonia proles,
 Quî dux occiderit felix insignibus armis?
 Nam Ferdam novi, generoso sanguine natum
 Amunis : nituit formâ, velut imbrifer arcus. 550

Mox ita Cuchullin : devenit ab Albine Ferda
 Littus ad Ullineum ; centum convallibus unus
 Regnabat, Murique aulis exercuit ense.
 Mî fuit ante alios charus ; comes additus ibam 555
 Venanti ; consors in saltu lectus habebat.

Degyla quò memorem causamque caputque doloris?
 Carberis uxor erat Degyl, ditione prementis
 Ardvena ductoris. Stetit illius ore venustas
 Plurima ; sed posuit sub corde superbia sedem. 560
 Deperiit porrò fulgurque decusque juventae,
 Ferdam Amuniaden ; dixitque, exosa maritum.

Da mihi † dimidium tondentis pascua, Carber,
 Armenti ; linquamque tuas, vir inutilis, aedes.
 Tolle moras omnes ; nam fert ita corde voluntas. 565

* Nota, P. † Q.

Tum contrà Carber : justis id partibus aequet
 In nos Cuchullin, cujus sub pectore sacrum
 Jus habitat. Salve, Degyl ; lux optima, salve ;
 Æternùmque vale, mulier, quam gressus honestat.
 Jamque pecus geminis paribusque ego partibus aequo,
 Cùm superest unus praestanti corpore taurus, 371
 Carbereisque, nefas ! opibus, me judice, cedit.
 Ob decus hoc pecoris, taurum candore nivali,
 Quemque alius votis aliusque optaverat heros,
 Exarsère animis irae ; formosaque Ferdam 375
 Talibus aggreditur dilectum foemina dictis.

Me Semoniades curis ingentibus angit,
 Immiscetque atrae nocti : fac, optime Ferda,
 Mox cadat ante diem ferroque extrema sequatur ;
 Aut projecta ferar sinuosi Lubaris undâ, 380
 Luminibusque tuis adero, teque insequar ultrix
 Omnibus Umbra locis, trepidâ formidine captum.
 Altior insurgens dirum Cuchullina perde,
 Meve relinque animum nil magnae laudis egentem.

Quì potero, juvenis praestanti robore dixit, 385
 Quì Sermoniaden potero, mea candida Degyl,
 Perdere, consortem mentis rerumque mearum ?
 Dimidiumne mei scindam crudelibus armis ?

Tres lacrymosa dies egit ; quartâque sinistrae
Aptavit juvenis clypeum, contendere certus. 590
Aggrediamur, ait, Cuchullina, Degyl, ut optas :
Illius ast utinàm telis abrumpere vitam
Hanc mihi contingat ! què nam per saxa vagarer,
Impositumque olli possem spectare sepulchrum? 594
Pugnatum Muri campo est ; at vulnera telum
Horrebat, galeasque cavas clypeosque rigentes
Segnius attingens, belli simulacra ciebat.
Astabat Degyl dictisque invadit amaris.

Optime Ferda, tibi languescit inutile telum ; 599
Vulnificumque tener chalybem malè gestat ephebus.
Cede, puer ; referat palmam Semonius heros,
Malmoream solido superat qui robore rupem.

At juveni rubuêre genae ; fuisque rigantur
Errantes oculi lacrymis : nec multa locutus, 404
Erige, ait, clypeum, Cuchullin ; pelle petentem
Ictibus haud meritis. Jam stat decernere ferro,
Quanquam animus tentasse horret, luctuquere fugit.
Ingemui, sicut ventus per rupis hiatum
Sibilat ; utque mihi ferus insurrexerat ensis,
Concidit heu belli fulmen ! sub culmine collis 410
Ferda jacet busto, miserandâ morte peremptus.
Scilicet invisum me me victoria fugit,

Quandoquidem coeli jucundo lumine et auris
Nudâram juvenem, quo non mihi charior ullus.

Tum solitus Carril modulari flebile carmen 415
Talia dicta dedit: riguae dux Phallidis acer,
Quique ornas currum, jam non ornaris ab illo,
Triste refers: animoque subit, quod tarda vetustas
Protulit in medium. Tacitis labentibus annis,
Comalis increpuit nomen memorabile famâ: 420
Sed, licet infelix telo mactâsset amicam

Dimidiumque animae, multo sublimis honore
Ex acie rediit victor pugnisque cruentis.

Is fuit Albineus princeps, centumque jugorum
Regnator; cervique illius mille bibebant 425

Flumina; latrabat centum sub cotibus altis
Turba canum; roseo fulgebat in ore juvenus,
Miscebatque manus bellum, stragemque ciebat

Heroum. Toto nympham sub corde recepit,
Nomine Galvinam, spoliis paterisque superbi, 430
Conloci sobolem, quâ non formosior usquàm.

Virgineos inter coetus namque ipsa refulsit,
Sicut Sol coelo: corvi vel nigrior alis

Ludebat crinis per candida colla; citorum
Vis ibat catulûm sub littore; montibus arcus 435
Stridebat; posuit mens uno Comale sedem.

Alter in alterius figebat lumina vultu
 Saepius ; his amor unus enim, studiumque, laborque
 Unus erat ; sensusque animi clàm dicere jovit.

At, ditione premens nimbosas Ardvenis oras, 440
 Illam etiam Grumal dilexit, turbidus hostis
 Comalis : ibat hians, solam si fortè videret.

Jamque die quâdam, cum caetera turba vagatur,
 Undique diffusâ nebulæ caligine caecos
 Defessi montes Comal virgoque relinquunt, 445

Ronanisque adeunt antrum, quâ personat aequor
 Fluctibus. Hîc fuerat solitus consistere Comal,
 Venatu rediens ; hîc illius arma fuerunt ;
 Hîc centum clypeos omni ferrugine puros
 Constituit, centum galeas ex acre sonoro. 450

Introgressus ait : quod te nunc hospite gestit,
 Hoc lato sedeas antro, lux alma decoris.

Rupe sub adversâ tollit se in cornua cervus
 Magnâ mole ; petam cursu ; subitòque revertar.
 Me, Galvina re fert, Grumal formidine complet, 455

Carmina quem tollent nunquam, nec gloria laudis.
 Huic gratus Ronan, gratum est Ronanis et antrum.
 I, donec redeas, arma inter densa morabor.

Moram Comal adit, cervoque acerrimus instat. 459

Comalis illa volens animum explorare fidemque,

Arma capit demens ; egressaque, sola vagatur
Littore. Prospexit ductor, dirumque putavit
Grumala devenisse locos : quatit ilia ; pallet ;
Omnia jam tenebris sentit nigrescere circùm ; 464
Intenditque arcum. Volat acta sagitta per auras ;
Et moribunda suo versat se sanguine virgo.

Pervolat ille ferox, latè loca questibus implens,
Galvinamque vocans, Conloco patre creatam. 468

Quis te, dicebat, quis habet, mea maxima cura,
Nympha decora, locus ? quis te malè sustulit error ?
Concava saxa silent ; silet omnis et undique tellus.
Quod modò de manibus multâ vi fugit in auras,
Vidit anhelanti defixum virgine telum.

Galvinanne, ait, * extinxi ? nec plura locutus,
Irruit in collum. Solos per lustra ferarum 475
Invenit miserans geminos venator amantes.

Inde aevum luctu Comal gemituque trahebat,
Conditus in nubem ; vestigia plurima fecit
Virginis ad lectae tumulum, lacrymasque ciebat.
Classis ut hostilis gelidâ devenerat Arcto, 480
Miscuit ille manus manibus ; peregrinaque passim
Agmina fundebat, quaquà densissimus hostis,
Jampridem invisam quaerens abrumpere vitam.

* Nota, R.

Quis tamen hunc posset cinctum fulgentibus armis
Perdere? projecit clypeum: praecordia telum 485
Invenit volitans. Tecum, Galvina, quiescit
Littus ad aequoreum positus: vestrumque sepulchrum
Navita prospectat, summis ubi pendet in undis.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI TERTII ARGUMENTUM.

Cum prolatum carmen Cuchullini placuisset, gestas in Lochline res Phingalis, adhuc juvenis, virginisque Agandæcae fatum, rogatus recinit Carril. Vix quiescit is, ubi Calmar, Mathæ filius, primique vel auctor prælii, vulneratus devenit acie; nunciatque eò tendere Suarena, ut reliquas Hiberniæ copias improvisus opprimat. Se autem significat velle omnem hostis impetum sustinere, dum sui se in tutum recipiant. Huic se facinori addit socium Cuchullin. Exortú jam luce, vulneribus confectus, Calmar moritur. Erigenas insecutus, videt Suaren Phingala; ipsumque petit toto agmine. Ob cladem moestus Turá se condit Cuchullin. Lochlinidas interim oppugnat Phingal: at, instante nocte, victoria differtur. Oscara, nepotem laudat edocetque rex. Suarenis exploratum molimina mittuntur Follanus atque Oscar. Rogat inde Gollus, Morni filius, ut proximæ summa pugnae se penes sit; annuitque Phingal; qui, priusquam se dat somno, Agandæcae absentem Umbram affatur. Quæ tertiæ sunt diei pulchrá in patrem pietate concludit Ossianes.

PHINGALEIS.

LIBER TERTIUS.

HÆC ubi cantârat Carril, dulcedine mentem
Carmina demulcent, inquit Semonius heros ;
Et repetita subit decursi temporis aetas,
Haud secus ac passim diffusus mane benigno
Ros super arbustis, capreaeque virentibus herbis, 5
Cum Sol exoriens lustrat jam summa jugorum
Culmina, caeruleusque inâ convalle quiescit
E regione lacus. Rursùm sub sidera blandam
Tolle, senex Carril, vocem ; cantumque moveto,
Quo sonuit quondàm, quondàm mea gestiit aula, 10
Rex ubi bellipotens coràm melioribus annis
Afforet, ac numeris ardens intenderet aures.

Paruit hïc Carril, magnoque haec ore profudit.
Optime rex, Phingal, durosque experte labores,
Plurima miscueras certamina ; saepe frementis 15

Retulit ad Selmam te pompa, decusque, triumphii.

Lochlina fudisti justas effusus in iras,

Cum te primaevo vestiret flore juventus :

Laetos despexêre annos malasque rubentes 19

Lochlinidae ; victrixque neci mox, vana tumentes,

Hos tua dextra dedit, magnorum maxime regum.

Quâ vel Lora* ruit spumatque gemitque sub
auras,

Faucibus angustis fervens, vi Phingal in armis

Rex ibat ; juvenumque manus, manus optima bello

Pone sequebatur ; sonuitque, ut flumina mille, 25

Cùm gelidâ Starno dominatus Lochline captus

Devinctusque fuit, manibus post terga ligatis,

Compeditibusque abiit liber, classique remissus.

Volverat hinc tumidos irarum pectore fluctus

Barbarus; ac tacitum noctesque diesque fovebat 30

Phingalis exitium, victus cui cesserat uni :

Utque domum rediit, seditque in Gormalis aulâ,

Snyvena, qui passus canos, qui carmina pronus

Lodinis† ad signum fundebat colle repostum,

Auditusque novas acies, nova bella ciebat, 35

Ocyùs accivit, simulatâ mente locutus.

Impiger i, Snyven, niveâ cui spargitur actas

* Nota, A. † B.

Canitie, Selmanque subi, per Morvenis oras
 Littore surgentem curvo; mea dicta ferentem
 Excipiat praestans animis formâque tyrannus. 40
 Huic thalami* sociam, spirat quae pectore cantum,
 Ipse dabo gnatam; nec pulchrior exserit usquàm
 Nympha sinum. Spumam, summis quae volvitur
 Illius equiparant nivei candore lacerti; [undis,
 Errantesque comae nigrescunt; blandaque miram
 Menssuperat formam, moresque habitusque benigni.
 Æquora trajiciat Phingal, visatque puellam,
 Quae secreta adytis nunquam penetralibus exit.

Ventosas tandem penetravit Morvenis oras
 Advectus Snyven: septusque cohorte suorum 50
 Phingal abit; longèque animus praevertitur ipsum,
 Virginis eximiae magno percussus amore.

Salve, fuscus ait Starno, rex alte jugorum,
 Comalide§! fortes regis salvete sodales,
 Quos alit assurgens medio latissima ponto 55
 Insula! Tres† epulis extractis condite Soles,
 Tresque exinde alios cervis aprisque premendis
 Per montes vallesque cavas; seclusaque vestram
 Auribus excipiet famam lectissima virgo.

Jam, quamvis atro versaret pectore lethum 60

* Nota, C. † D.

§ Comal pater erat Phingalis.

Phingaleum, plenis struxit convivia mensis.
 Insidias veritus Phingal caecumque furorem
 Ære refulgebat; positumque hastileprehendit.
 Conticuère omnes defixique ora tenebant
 Lochlinidae: cecidère animi; formidine fugit 65
 Impia turba virûm, caedem molita nefandam;
 Rursus et ingenti sonuerunt omnia plausu
 Tecta domûs, nervisque lyrae crepuère canoris.
 Praelia cantârunt vates niveasque puellas,
 Delicias procerum, vates cùm Phingalis, Ullin, 70
 Qui Conae valles cantu resonare docebat,
 Laudibus ad coelum generatam Lochline nympham
 Extulit, ac magnum dominantem Morvene regem.
 Hauserat illa sonos; et, jam penetrabile relinquens,
 Constitit heroum coetu purissima, qualis, 75
 Nubibus erumpens, super aequora Luna renidet.
 Fulsit enim nivei radiis adoperta decoris
 Undique; composito* referebat carmina vatuum
 Incessu. Nympham Phingal veneratus honestam
 Mollia de forti suspiria pectore fudit; 80
 Ipsaque caeruleos oculos demissa ferebat
 Morvenis in regem canentis rupibus altis.
 Tertia lux postquàm clivos lustrârat aprorum

* Nota E.

Vespere sub sero, venatum saltibus ultrò
Ire parant Starno, Phingalque asperrimus armis, 85
Incertosque abeunt primi sub luminis ortus.
Immaduit Selmae cuspis mox caede ferarum.

Dimidium coeli vix Sol trajecerat orbem,
Cum jam Starnine dirarum haud inscia rerum,
Fletibus humectans oculos malasque decoras, 90
Morvenium regem, magnis virtutibus actum,
Dulcibus alloquis monituque accessit amico.

Maxime priscorum Phingal sate sanguine regum,
Ah tibi fac caveas, inquit, genitoris ab astu!
Arripuère locum clivo, sylvisque teguntur 95
Illius juvenes, telisque armantur iniquis.
Fac sylvam fugias lethali crimine foetam,
Albinei rector populi fortissime ; meque,
Talia nudantem, serves genetoris ab irâ.

Haudminùs ille jugum scandit, comitante suorum
Armipotente manu juvenum ; diramque catervam
Invadit, fusoque aspergit sanguine lucum. 102
Gormalis it clivo strepitus, longèque resultat.

Laetas ante aedes venantum substitit ingens
Monte corona redux ; turbato pectore substat 105
Rex medius Starno, frontemque * in nubila cogit.

* Nota, F.

Illius ardescunt oculi, ceu fulgura noctis.

Hùc, inquit princeps, hastis et sanguine gaudens,
Agandaeca, subi : meritâ tu morte peribis.

Morvenio mentemque meam casusque paratos 110

Nudasti domino : madet ille cruore meorum.

Succedit lacrymis oculos tepefacta rubentes,

Passaque caesariem virgo ; suspiria jactat

Pectore, quod niveo superat candore volutam

Lubaris effusi spumam ; genitorque severus 115

Districtum lateri gladium mox abdit. At illa

Concidit, ut summae nix acta crepidine rupis,

Cùm silet omne nemus, silet omnis et ardua tellus :

Jamque repentinis clivus fremit ictibus omnis

Concussus ; vallemque natat resonabilis echo. 120

Adventat Phingal, vultuque animisque tremendus

Excitat in pugnam, secum quos Albine duxit ;

Pugnaturque diu telis, velut aequora fervent

Flatibus adversis ; ferri vis Lochlina fudit.

Protinus ad navem corpus lacrymabile Phingal 125

Sustulit, et sese commisit fluctibus alti ;

Ardvenioque solo dulcis per aperta locorum

Agandaeca jacet. Circumsonat aequoris aestus

Exilem sine Sole domum, penctralia lethi.

— Sera tibi, Cuchullin ait, nivis aemula virgo, 130

Gaudia pertentent animum ; tuque, optime vates,
Aeternùm valeas, Carril ; quem carmine dicis,
Egregius valeat fortunatusque laborum
Rex Phingal. Viguit primis ineuntibus annis,
Fulmineumque senex dextrâ circùmrotat ensem. 135
Lochlina contundet rursus rex maximus armis,
Qui regit imperio montes vallesque profundas.

Luna, decus noctis magnum, fax aemula Solis,
Exsere te latebris ; lustraque aspergine lucis
Carbasa Morvenidûm, lentis pendentia malis. 140
Si liquido fortis vitam Mens* Aethere degas,
Nube habitans mediâ, caecisque obducta tenebris,
Nimborumque potens tempestatumque frementum,
Da facilem cursum, scopulisque averte carinas.

Vix bene finierat, venit quum vulnere tardus 145
Mathaides : sociis acie cedentibus, ibat
Hic sanie taboque fluens. Certamine fractus
Elanguet ductor, lentâque innititur hastâ :
Vivida sed virtus animi sub pectore fervet.

Salve ! mox Connal ; salve ! te laetor amicis 150
Adventasse tuis, Calmar. Quîd corde profundos
Das gemitus ? Non te vis ferrea moverat unquam.

* Nota G.

Nunquam, respondet Calmar ; nunquamque mo-
 Dux rerum prudens, teloque insignis acuto. [vebit,
 Mens mihi gliscit ovans, belli cùm turbidus horror
 Ingruit ; utque melos, clamor strepitusque phalangum
 Adveniunt aures. Duco de patribus ortum 157
 Vulnificis, acies qui non metuere ; meaeque
 Alta quidem posuit Cormar primordia gentis.

Hujus erant pelagus tempestatesque sonantes 160
 Deliciae : nigrâ quondam tenuique carinâ,
 Concitus aligeris ventis, vada salsa secabat.
 Nox erat ; insolito latè loca murmure * Larva
 Miscuerat ; tumuit pelagus ; scopulique gemebant.
 Nubila vexabat turbo ; simul ignibus undae 165
 Fulserunt. Metuit Cormar ; sub littora tendit.
 At metuisse virum pudit, repetitque profundum,
 Si fòrs inveniatur subvectam flamme Larvam.
 Tressubigunt juvenes puppim ; gladium ipse coruscatur
 Jamque videt, nebulis obscuroque aëre septam, 170
 Ire levem formam propiùs ; laevâqueprehendit
 Caesariem, conditque premens in viscera ferrum.
 Horridus auditur stridor ; diffugit imago ;
 Flamina se ponunt, stellaeque ac Luna relucent. 175
 Dum memor ipse mei, patres ego fortibus ausis

* Nota, H.

Pone sequar. Quidni? strictum discrimina telum
Dimovet, audacemque virum sors aspera nescit.
Vos ô, quos viridans aluit sub vallibus Erin,
Linqvite praecipites madefactam sanguine Lenam :
Cogite qui superant, sociosque adjungite regi 180
Morvenio. Subeunt hostes ; mihi perculit aures
Crebrescens horum strepitus. Decurrite ; solus
Hic stabo ; validum solus certamen inibo ;
Replebo clamore locum, ceu mille sequantur.
Vicerit * ut Phingal, me tu, Semonia proles, 185
Mente fove memori, corpusque exsanguie sepulchro
Redde, oro. Nomen ventura in saecula mittant,
Appositi tumulo, Lapides : pia gaudia carpat
Aspiciens mater famae monumenta perennis. 195
Non te destitui, dixit dux Phallydis, unquam ;
Te nec, Mathaide, tanto discrimine rerum
Destituam. Mediis clypeis medioque tumultu
Mens mihi laetitiâ exultat, majorque videtur.
Non ego jam verti, stat non hinc vertere tergum.
Leni animo Connal †, Carril, labentibus annis 195
Obsite, trans istum nostros abducite clivum
Ocyùs heroas, rursus certare paratos ;
Cumque hujus belli tandem subsederit aestus,

* Nota, I. † K.

Tum geminos bellare viros cum millibus ausos
 Quaeritis studio, caesosque videbitis ipsos 200
 Calle sub angustae vallis. Sate Phyttilè, Lenam
 Trajicito ; littus, pontumque require frementem :
 Dic rex Morvenius properet vestigia ; ceu Sol,
 Prosiliat Phingal, tempestatesque serenet
 Erinis, ore coruscanti nova gaudia fundens. 205
 Sparserat intereà cano Sol lumine Cromlam,
 Lochlinidaeque loco succedunt. Calmare virtus
 Fervida regnat adhuc ; torpent at corpore vires.
 Pallet enim ductor, patrisque incumbit in hastam,
 Quam rapuit, Larâ bellatum certus eundi, 210
 Saucia cùm mater curis, Alcletha, doleret,
 Terque quaterque manu pectus laniaret honestum,
 Multa gemens, noctisque atrae demersa tenebris ;
 Quam medias inter fulgentes aere catervas
 Per Lenae tumulos crispavit percitus irâ ; 220
 Quamque ubi luctatur densos immittere in hostes,
 Concidit * ipse, velut devicta bipennibus ilex.

Objicit † at sese Cuchullin millibus unum
 Arduus arma tenens ; perstatque, ut littore cautes,
 In durum quanquàm pulsantibus irruit undis 230

* Nota, L. † M.

Oceanus latus, et spumam sub vertice volvit,
Viciniq̄ue fremunt immani murmure colles.

Hîc canas inter nebulas super aequora classis
Apparet ; tenditque albentia carbasa ventus ; 230
Comalidae classis, dominique ducisque phalangum.
Lucus uti, sese malorum robora tollunt,
Inque vicem nutant. Allabi littore classem
Respicit è tumulo Suaren ; retròque, relictis
Erigenis, praeceps animi vestigia torquet ; 235
Morveniumque * ducem toto petit agmine, sicut
Itve reditve fremens rabie trans Orcadas aestus
Oceani. Bello Cuchullin moestus acerbo,
Ingentemque trahens hastam post terga, latebris
Infert se sylvae, qualis de nocte cometes,
Triste per augurium mortalia pectora ducens. 240
Suffusus lacrymis, secum plorabat amicos,
Quos Lenae stratos campo sopor altus habebat :
Phingalis os metuit, toties qui plauserat ipsi
Ex acie reduci, cincto victricibus armis. 245

Hei mihi ! dicebat, quae quantaque robora belli
Amisisti, Erin, proceresque ducesque potentes,
Laetatosque meis olim genialibus aulis.
Hos ego non inter venandum exinde videbo :

* Nota, N.

Non mihi nota diu vox grata feretur ad aures.
Conticuère obitu ; tenebris conduntur opacis. 250

Vos autem formae tenues animaeque meorum,
Hinc mihi per Cromlam mediis occurrite ventis
Turbineis ; vestro me compellate susurro,
Cum Turae quercus pendentia brachia quassat,
Horrificusque sonus deserta per alta vagatur. 255

En procul à patriâ spretusque humilisque jacebo :
Me non agnoscent, recinant qui carmina vates ;
Nec mihi ponetur saxum, tumulusve secundum
Æquora, nec viridi sinuosae gramine vallis.

Jam, Bragella, vale ; supremo funere mersum, 260
Me plora, vacuas quoniam mea fama per auras
Fracta loco cessit. Moerens haec * corde profudit
Cuchullin, clivumque abiens superavit iniquum.

Substitit in puppi, dextrâque hastile tetendit
Arduus arboreum Phingal ; totusque reluxit 265
Sole lacessitis heros conspectus in armis,
Per noctem veluti summo sub Malmore flagrat,
Aethera transcurrens, lethi praenuncius ignis ;
Quique viam carpit caecam, vestigia sistit
Attonitus, visumque imo sub corde volutat. 270

Pugnatum est, inquit genitor : tenet aequora campi

* Nota, O.

Exitium ; fuso saltus rubet iste meorum
Sanguine. Lena, tibi squalent nunc omnia circùm ;
Nunc squalent frutices, squalent per devia Cromlae
Ingentes luctu quercus. Venatica pubes, 275
Exsuperans virtute, ruit ; ruit ictibus asper
Semonis natus. Follane ac Roena, sonorum
Tollite Morvenidûm cornu ; conscendite collem ;
Praecipitate moras. Hostis, clamoribus actus,
Irgaleos adeat latices ex aggere magni 288
Lamdargi, gelidâ dudum qui morte quievit.
Conclamate, velut genitor, cum praelia miscet.
Suarena, Lochlineum praestanti robore regem,
Opperiar Lenâ : solus, fultusve suorum
Omnibus agminibus veniat, nîl deprecor, heros, 285
Dicite : namque sumus genus intractabile bello.

Fulminis in morem rufus petit ardua collis
Roena ; subit frater, veluti secat aethera nubes
Percita flaminibus. Resonat sub vallibus imis
Morvenium cornu : proles sata fluctibus alti 290
Senserat ; utque fremit refluitque nivalibus oris
Excitus oceanus, fortes densaeque phalanges
Delabebantur clivosi tramite montis
Lochlineae. Primus magnâ se mole ferebat
Exultans Suaren, fretusque nocentibus armis : 300

Totus inhorruerat, saevasque exarsit in iras.
 Lumina torquebant flammæ, montanus ut ignis,
 Quem validi pascit jactatque insania venti.

Viderat* ut Phingal, mentem nivis æmula virgo,
 Agandaeca, subit; vates ac mittitur Ullin, 305
 Suarena qui rogitet dapibus succedere regis
 Morvenii, pandit placido qui gaudia vultu,
 Cum lenem meminit nympham, sub corde receptam
 Jamdudum: vatesque adiit; coràmque profatur.

Armipotens, alio prodixit qui littore, princeps, 310
 Quique refert chlamyde et rigidis conspectus in armis
 Immanem scopulum, mediis qui fluctibus extat,
 Hospes adi regem, quo non præstantior alter
 Est heros; mensisque hodie dapibusque vacato.
 Crastina lux franget clypeos, jactabit et hastas, 320
 Praelia commiscens. Clypeos nunc ipse refringo,
 Turbidus orsa refert Suaren: cràs æthere cassus
 Rex erit ille tuus; Suarenque suique vacabunt
 Laetitiæ dapibusque duces. Convivia lætus
 Suaren agat, risu respondit Phingal honesto. 325
 Haud mora, pugnabo: frangamus fortia fortes
 Scuta viri; laterique meo tu proximus esto,
 Ossianes, acie; magnum, dux alte, corusca,

* Nota, P.

Golle, manu gladium ; celeres emitte sagittas,
 Contendens arcum, Fera ; Follane, trementem 330
 Intorque summis adnexus viribus hastam.

Ite animis alacres : vestri per inane vagantes
 Obductam referant clypei ferrugine Lunam ;
 Vestraque tela hosti, mortis certissimus auctor,
 Immineant ; centumque unus certamine praestet. 335

Haec ubi dicta, ruunt centum ceu flamina vastas
 Morvenis in sylvas, centum ceu flumina clivis
 Praecipitant, magnum veluti per inane vehuntur
 Nubila, prout sese pelagus sub littora fundit,
 Acres concurrere viri ; clamorque phalangum 340
 Per campum resonat, resonat per summa jugorum
 Culmina, ceu mediis tonitru nigrantibus umbris,
 Cum supra Conam rupto cadit aethere nimbus,
 Innumerique gemunt ventorum in flamine Manes.

Aequora per campi Phingal, vi concitus, ibat, 345
 Sicut provehitur defunctus corpore Trenmor,
 Turbine quum pluvio delatus Morvena visit
 Progeniemque suam : subterdant murmura quercus ;
 Labuntur scopuli ; radiantis fulminis ignem
 Antevolat praeceps heros, cursuque superbo 350
 Transgreditur valles et culmina summa jugorum.
 Segnior haud genitor, Phingal ; totamque cruore

Perfudit Lenam, magnum quàm strinxerat ensem,
 Pectore sub memori volvens, quod gesserat olim
 Immensum juvenis bellum * convallibus imis. 255

Fulminis in morem rapuit se Roena ; feroxque
 Gollus inhorrebat totus, gladiumque rotabat ;
 Ibat, uti turbo, Feras ; ceu concita nubes,
 Follanus ; praeceps, ut visque ruinaque montis,
 Institit Ossianes. Laetabar † pectore toto, 360
 Proximus admirans gressumque manusque parentis ;
 Fulmineusque meus miserando corpora letho
 Plura dedit gladius. Quid non mutaverit aetas ?
 Non mihi tunc miseris squalabant tempora canis ;
 Dexterâ non tremuit senio ; non lumine captus 365
 Moerebam vitamque extrema per omnia ducens.
 Tunc indefessus potui percurrere mundum.

Funera quis fandonumeret, quis magna potentum
 Facta ducum, saevas ubi rex effuderat iras,
 Lochlinidas ferro populatus ubique locorum ? 370
 Crevit in immensum sublatus ad Aethera clamor,
 Cum nox praecipitat, terraeque marique recumbit.

Sub tumulo, veluti trepidâ formidine cervi,
 Se glomerant hostes : tacitasque ad Lubaris undas
 Nos citharis animos laeti praestamus et aures. 375

* Cum Romanis.

† Nota, Q.

Lochlinidûm castris rex proximus ipse locatus
 Considet, ac captat volitantia murmura vatum,
 Qui genus et proavos et fortia facta parentum
 Versibus exponunt, et coelo laudibus aequant.
 Incumbit genitor clypeo, dans spargere ventis 380
 Caesariem, versansque imo sub pectore tempus
 Praeteritum proceresque immani robore notos.

Arboris ad truncum telis asperrimus Oscar
 Stat contrâ; nunquamque oculos a Phingale torquet :
 Haeret enim, versatque animo, quae fortia jamjam
 Magnus gessit avus, cum talia regius heros. 386

Macte* novâ virtute Oscar; te cominûs hosti
 Congressum vidi; dextrâ nec torpuit ensis;
 Laetabarque acri bello praestare nepotem.
 Tu famam sectare virûm, quos abstulit aevum 390
 Sublapsum; proavos imitare in saecula notos.
 Hûc curas impende omnes, omnemque laborem
 Dirige, quò fueris, qualis fortissimus unus
 Heroum Trenmor, qualis dux ille cohortum
 Trathal erat †: primo certamina flore juventae 400
 Moverunt olli; resonant modo carmine vatum.
 Fortia debella miscentem praelia dextram;
 Parce minûs validae, strictis ubi cesserit armis.

* Nota, R.

† S.

Ut ruit Hyberno vel quà rapidissimus aestu
 Per vada salsa latex, i Phennidis* obvius hosti; 405
 Æstivusque velut zephyrorum spiritus agros
 Mulcet, ades duro fractis discrimine rerum.
 Talis erat Trenmor, Trathalque; illosque secutus
 Talem me gessi. Deprenso rebus in arctis
 Affueram semper facilis, dextramque tetendi 410
 Obvius; isque mei teli requievit in umbrâ.
 Haud bellatorem, quanquàm nil viribus esset
 Par mihi, respueram quemvis; hostisque cruorem
 Nullius expetii, pacem qui pangere vellet.
 Quò rex Morvenius jactet quae fortia quondam 415
 Moverat? In medium profert haec cana senectus
 Qui fuerim, fuerint solido quae corpore vires.

Ceu tu nunc, Oscar, ridebam flore juventae,
 Cum nova lux formae, memet Fansollyna supplex
 Trans tumidum petiit pelagus. De Gulbine gressum
 Ipse reducebam, paucis comitatus amicis, 421
 Prospectuque subit navis, cui carbasa candent,
 Lucida ceu nubes, quae transvolat aequora flabris;
 Cumque propinquârat, niveo mœx pectore nymham
 Stare unam vidi. Tortos vaga flamina crines 425
 Turbabant; roseaeque genae maduère profusis

* Nota, T.

Fletibus. O formâ, dixi, pulcherrima virgo,
Quae prodis pelago, tibi quid praecordia jactat ?
Fasne levare mihi quae te modo cura remordet
Aspera? Pubesco; sunt qui contendere mecum 430
Ense valent; verùm gliscit mihi pectore virtus.

Tum sic orsa refert, dictis suspiria miscens.
Ad te confugio, Phingal, fortissime princeps,
Cui nîtet oris honor mirus; quique indole praestas,
Et rerum fessis dextrâ succuris amicâ. 435
Me duxit genitor, genitor, dum vita manebat,
Grande decus generis; multosque effundere questus
Pectora, quae duro Fansollyna torsit amore,
Audierat Galmar. Sorae rex vidit, et arsit
Me miseram, fovit gremio quam regia Cracae; 440
Bellantisque viri dextrâ, vastator ut ignis,
Usquemicat gladius: nigrumque minaxque tumescit
Fronte supercilium; saevit sub corde procella.
Borbaris invidiam fugiens, me fluctibus alti
Commisi: rapidis at me premit excitus Euris. 445

Parce metu, clypeique mei requiesce sub umbrâ,
Virga decore virens, inquam. Si dextera mentem
Viribus aequiparet nostram, te Borbar abactus
Deseret. Hinc paulùm cedens, te condere possem
Rupe cavâ tutam: nolo sed vertere tergum; 450

Cum premit immitis casus, cum tempora poscunt,
Hoc caput hastarum licet objectare periclo.

Heu! metuo, Phingal, metuo, Fansollyna reddit,
Borbaris immensas vires animumque ferocem :
Turbidus annosas ceu sylvas dejicit Eurús, 455
Ille catervatim certamine corpora mactat.

Dixerat : ac largo violabat flumine malas ;
Ingenuique dolens blandoque incensus amore ;
Jamque instar flinctûs, procul è regione voluti,
Borbaris apparet navis, summoque resultat 460
Acta salo : referuntque nivem volitantia vela ;
Circum spuma ruit ; miscetur murmure pontus.

Æquora qui calcas, hùc, clamo, dirige cursum ;
Hospitiò dudum positas adeuntibus, aedes
Hospes adi, mecumque epulis accumbe benignus.
Si tibi fert animus bellare, haud ipse recuso ; 466
Stant belli causae ; plorat Fansollyna coràm.

Substitit illa tremens : arcum dux advena tendit ;
Certa sagitta petit nympham, quae vulnere saevo
Victa ruit ; referensque, inquam, de corde dolorem,
Haud male dirèxti. Verùm, si foemina telo 471
Fracta jacet, Borbar, non magnae est gloria laudis.
In me nunc ferrum converte ; tuique meique
Certabunt socii ; sors debita quemque sequetur.

Nec mora, congressi duro certamine dextras 475
 Conserimus; Borbarque meis perrumpitur armis.
 Ipsum mandamus terrae; juxtâque puellam
 Egregiam rutilumque viri demittimus ensem.
 Pòst lapis impositus tumulum designat ad undas:
 Quae dudum requievit humo, Fansollyna vatum
 Ore sonat, famâque viget. Si fortè sepulchrum 481
 Borbaris infausti lustrem, mens aegra dolore
 Succidit: antiquisque viros virtutibus actos
 Ipse fui semper magno dignatus honore.
 Sanguineis, Oscar, dirum est contendere telis: 485
 Nam rapit ante diem vis ferrea bellatores.
 Haec mihi vel primis sententia sedit ab annis;
 Tuque meos sectare gradus ad damna senectae.
 Haud inferre para* bellum, sed pellere vim vi.

Praecipitate moram, juvenes pernicibus alis; 490
 I, Follane; puer fuscis i crinibus Oscar.
 Discite quâ sese valido certamine laesos
 Lochlinidae vertant. Fremitus mihi fertur ad aures,
 Qualis, quum sylvâ pelagove immurmuret Auster.
 Accelerate gradum, ne fòrs meditentur ad Arcton
 Findere classe undas, nostrumque evadere ferrum,

* Nota U.

Postquàm tot cecidère duces, tot robora gentis,
 Quam tulit Aethereo circumsona Cromla fragore,
 Fracta jacent semper caecâ caligine lethi. 499

Corripuère viam, liquidum velut aëra verrunt
 Nubibus eveci Lemures, et imagine mortis
 Mortales terrent, curis ingentibus aegros.
 Inde, instar scopuli, stetit è regione per umbras
 Morniades* Gollus; dextrâ simul extulit hastam
 Luce coruscantem stellarum; et vocibus ultrò 505
 Phingala compellat, sicut sonat aestus aquarum,
 Praecipitis tenui labentum tramite clivi.

Morvena qui regis imperio, rex optime regum,
 Rex cyathis felix, felix insignibus armis,
 Dic vatium resonet cantus; dic Erinis acres 510
 Attollat socios fusâ dulcedine circum.
 Fulmineum gladium vaginâ conde; tuoque
 Da populo, Phingal, quod fas et jura requirunt.
 Nos, en! succidimus; nec adhuc nos gloria cingit,
 Cum tibi contingat quamvis abrumpere parmam.
 Ergo, age, cum primùm clivis aurora rubebit, 516
 Tu procul è tumulo virtutem despice nostram;
 Lochlinidaeque meum maris experiantur ad undas

* Nota V.

Haud timidum ferrum ; sic namque per ora virorum
 Notus agar cantu. Patres, quò ipse solebas 525
 Ire acie, Phingal, pugnas incuntibus hastis.

Me tua, Morniade, tum Phingal, gloria tangit :
 Teque penes primae sit pugnae summa potestas ;
 Hastaque, non mollis tactu, te pone sequetur. 529
 Vos quibus est studium meditando extundere versus,
 Plectite jam citharas, citharis adjungite carmen,
 Inque gravem, vates, mea condite lumina somnum.
 Hic ego procumbam rauci sub margine rivi
 Flamine ventorum medius mediusque tenebris.
 Si nunc, Agandaeca, tuis tu gentibus adstas 535
 Per Lenae tumulos, harumque teneris amore,
 Quodve rear potius, celeres si vecta per auras
 Isque redisque super naves trans aequora ponti,
 O me fac adeas ; totum fac, alma decoris
 Lux, innes animum, placidâ dum pace quiesco. 540

Innumerae vocesque unâ citharaeque per auras
 Insonuere : canunt dulci certamine vates
 Res bello gestas regis, ductosque triumphos,
 Magnanimique ducis notam per saecula gentem :
 Ibat et Ossianis nomen sub sidera mistis 545
 Carminibus, cursusque levis, telumque coruscum.
 Saepe ego bellavi ; felix victoria cessit

Saepe mihi, quàmvis caligine mersus opacâ
Nunc homines comitor, nîl magnae laudis egentes.
Non lectos proceres, non te, pater alme, videbo 550
Amplius. En ! avido viridantem caprea mordet
Dente tuum, Phingal, tumulum, qui Morvenis altus
Regnâras dominus. Verùm hâc tua laude fruatur
Umbra piâ, liquidas coeli spatia per oras,
O pater, ô praestans olim felicibus armis 555
Dux procerum, saxis genuit quos aspera Morven.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI QUARTI ARGUMENTUM.

Paulùm digredi visus, Mulvinam, Toscaris natam, quam filius adamavit Oscar, alloquitur Ossianes ; narratque ea, quae gessit ipse, adhuc junior, in Hiberniá, apud Legonem, uxorem ducturus Evirallyna, Brannonis filiam, jam ante defunctam corpore, quàm haec Phingalis contigit expeditio. Apparet ipsi Umbra Evirallynis, cùm Oscara praemissa cohors aggreditur. Adventantis hostis fremitum expergefactus captat rex, qui sub extremam noctem, inter somnia, dilectae videt Agandaecae simulacrum. Continuo suos convocat, hortaturque ut Golli exemplo fortiter agant; tum colli succedit, unde praelium despiciat. Id porro committitur. Devincent Ossianes Oscarque ; at, parte aliá, premitur ab hoste Gollus ; quod ubi sentit Phingal, vatem mittit Ullina, qui illum comitesque carmine ad fortia excitet. Ingenti tamen Suarenis facto impetu pulsus, recedit Gollus. Relicto colle, instaurat Phingal acies. Occupato tumulo, turbatum reficit agmen Suaren ; Phingalisque adventum expectat. Ad Turam stans, fragorem pugnae audit Cuchullin ; collemque ascendens, configere videt Phingala, cui se adjungere meditatur. Huic obstat consilio Counal, ne quid ideò decerpatur Phingalis gloriae. Mittitur itaque Carril, qui victori gratuletur.

PHINGALEIS.

LIBER QUARTUS.

ECQUA, * decore nitens, coeli velut imbrifer arcus,
Monte subit virgo, demulcetque Æthera cantu?
Dulce loquens, virgo lenis; sata Toscare, virgo
Candenti dextrâ; nigris Malvina capillis.
Saepe tibi cecini: pendensque ex ore canentis 5
Luctu saepe meo doluisti; saepe decoras
Fudisti lacrymas. Magnosne audire labores,
Quaeque tuus movit fulgentibus Oscar in armis,
Bella juvat? Quando saevum finire dolorem
Heu tumidas potero Conae plangentis ad undas! 10
Egi aevum bello! pulsus melioribus annis,
Me longi vexant gemitus et damna senectae †.

* Nota, A. † B.

Non ita moerebam, virgo candore nivali,
 Non hâc mersus eram fusâ caligine circùm,
 Cùm me posthabitis Evirallyn amaverat unum 15
 Millibus, errantes pulcherrima nympha capillos,
 Candentique sinu dulcis Brannonia proles.
 Erinei proceres insigni pectore et armis
 Illam arsêre proci ; dextramque petentibus ollis
 Abnuat : ante alios visus lectissimus omnes, 20
 Juverat Ossianes. Nympham deposcere certus,
 Legonemque adiens, secui vada turbida ponti ;
 Meque fuit generosa phalanx comitata virorum,
 Roscida quos rivis, scopulis quos aspera Morven
 Fuderat. Appulsos excepit maximus heros 25
 Ante fores, Branno, lorica indutus ahenam ;
 Protendensque manum manibus, sic farier inquit :
 Unde gradum, juvenes? rutilis quid poscitis armis
 Instructi? Facilem non se mea nata remittet,
 Caeruleis oculis proceres quae respuit omnes 30
 Erineos. Salve, salve, dux alte phalangum,
 Phingalis ô soboles, famâ super aethera noti !
 Felix sorte suâ, quae se tibi reddat amantem
 Virgo, bellator gestis celeberrime rebus !
 Si mihi bissenae praestanti corpore natae, 35
 Ossianes, essent, quam tu magis omnibus unam

Arsisses, vincolo cuperem sociare jugali.

Inde bonus felixque recludit virginis aulam.

Perculsi colimus visum ! sub pectore motus

Sentimus miros ! nympham salvere jubemus 40

Unanimi, claro Brannonis sanguine cretam.

Æmulus intereà molli sub gramine clivi

Apparet Cormac, octo comitatus amicis :

Fortium ahenam virum longè lorica refulsit,

Solis inardescens radiis. Ibi vulneris auctor 45

Sævi, Colta fuit ; nec non et Durra tremendis

Viribus ; et, priscis gemini virtutibus acti,

Tog Fresdalque : manu non aspernandus et heros,

Dora ; potensque acie magnique vir agminis instar,

Dola unus. Pulchris pulcher conspectus in armis

Spargebat juvenis districto fulgura telo.

Exiit Ossianes, totidemque in fortia lectos

Ex his, qui secum superârunt aequora, duxit.

Constitit hos inter bello dux optimus, Ullin ;

Mullaque nobilibus factis ; Scallacque benignis 55

Moribus excellens. Irâ stetit excitus Oglan ;

Tuque, ferox Cardal. Roenae certissima proles,

Duva niger ciliis, lethoque instare paratus,

Affuit, et mecum campo furit acer aperto.

Ultimus ipse meo quid carmine diceris, Ogar,
Alme vir, Ardvenias famâ memorate per oras.

Cominus hic Dolae certat ; jamque aspera surgit
Pugna, repentino veluti quàm turbine venti [lunt.
Commiscent pelagus, spumamque sub aethera tol-
Mox habilem bello sicam nudaverat Ogar, 65
Corpus in adversi noviès quam condidit hostis :
Nec jam pugna fuit ; subsidere refluxus aestus.

Irrueram ferro ; Cormacis frangere durum
Tèr mihi contigerat clypeum ; tèr fregerat hastam
Ille suam. Jacuit terrâ caput illius udâ, 70
Caede cruentatum : comites tum terga dederunt.

Quod si, quàm telis adeò validâque juventâ
Praelia conserui quondam, vigil omnia vidi,
Hanc me ducturum vitam quis diceret heros,
Atrâ perpetuae mersam caligine noctis, 75
Aes foret huic triplex circa praecordia ductum,
Nil solitum robur, vinci quèn nescia virtus.

Per Lenae siluit* tumulos caecaeque per umbras
Dulce melos : crebrescebant stridentia sylvis
Flamina. Me vigilem curis Evirallyn habebat, 80
Lucida cùm tandem, solvensque in flumina ocellos,

* Nota, C.

Nube sub extremâ visa est subsistere coràm,
Exilesque hiscens tales effundere voces.

Surge, age, tolle moras ; dilectumque eripe natum,
Ossianes, gladiis ; serva discrimine lethi 85

O nimiùm juvenem fretum furialibus armis.

Lochlinidis certat saevis ad Lubaris undam,
Valle sub angustâ per mollia prata fluentem.

Dixit ; et extemplò nubi se immiscuit atrae.

Mox rapui clypeum ; rapui thoraca rigentem, 90
Aptavique mihi ; passus hostile regebat.

Utque ibam, strepui gravibus circumdatus armis.

Carmina, queis solitus proceres efferre vetustos,

Ore profundebam rauco. Vaga murmura sensit

Hostis, et effugit trepidans ; tergumque secutus 95

Est Oscar. Veluti multarum flumen aquarum,

Insonui, monitumque dedi, dixique : retorque

Gressum, Oscar, quamvis te patris dextra sequatur.

Nil secùs ac jussus retrò vestigia torquet :

Jamque propinquantis strepitum laetissimus hausi

Armisoni juvenis, coràm qui talia fatur : 101

Quò me, da, genitor, revocas, ferrumque coerces,

Dum non Lochlinidas penitùs discerpere detur ?

Hos praeter rivum, sublimi rupe volutum,

In me Follanumque ingens tulit impetus actos, 105

Horrida cùm totus mirae spectacula noctis
 Inspicerem : paucos absumpsit lethifer ensis.
 At, velut, insano per noctem turbine jactus,
 Fertur arenosae pontus sub littora Morae,
 Concitus haud aliter denso ruit agmine Suaren, 110
 Planitiemque secat latam : circùmque frequentes
 Exululant Lemures, et coelum questibus implent ;
 Collucetque necis latè praenuncia flamma.
 Ire subit, somnosque viri turbare potentis,
 Qui mediis ridet plagis medioque tumultu, 115
 Ceu qui Sol coeli summo sub vertice fulget,
 Collectosque fugat nimbos, mundumque serenat.

Somnia discussit, surgensque recumbit aheno
 Magnanimus Phingal clypeo, quem Trenmor, et
 Pòst alii reges à Trenmore ferre solebant, [omnes
 Praelia miscentes. Somno quum membra rigabat,
 Substitit ante oculos notâ sub imagine coràm
 Agandaeca. Maris liquidas trajecerat undas ;
 Segnior ac subiens à littore solaque, miris
 Palluit ora modis, lacrymasque ciebat amaras. 125
 Haud bene visa fuit ; nebulisque adoperta recinctis
 Extulit à pallâ dextram, charoque tetendit
 Ductori ; tacitosque oculos aversa tenebat.

Heu ! quid, Starnine, ploras pallesque silesque,

Phingal ait gemitu : quis te dolor angit iniquus, 130

Dulcis amor, levibus par tranans nubila ventis ?

Talia quaerentem extremâ sub nocte reliquit,

Flatibus exemplò sublata per aethera magnum :

Illa suam flebat gentem, mox aequore campi

Perdendam ferro. Curis aegerrimus heros 135

Emicuit, visumque imo sub corde premebat.

Affuit hîc pernix Oscar ; lucescere visum

Illius est scutum ; visus jam lumine pontus

Ullineus spargi tremulo, cùm talia Phingal.

Enitet orta dies, Oscar : quid territus hostis 140

Cogitat ? an petiit pelagus, Lenâve moratur

Innixus clypeo ? Verùm quid demoror armis ?

Obstrepit, ecce ! venit. Rapido pede trajice campum,

Gnate mei gnati, bellatoresque cieto. 144

Lubaris ad lapidem, demissum vertice, substat

Rex Phingal ; vocemque effert, quâ protinus omnes

Cromlani trepidant cervi, ripaeque lacusque

Praeruptumque jugum saxis hinc inde tremiscunt :

Confertoque ruunt uno velut agmine centum 149

Praecipites rivi, spumantque gemuntque sub auras ;

Nec secùs ac, faciem variantes Aethere nubes

Actutum coeunt atrae, glomerantque procellam ;

Convenêre, tulit scopulis quos ardua Morven,

Regis ad imperium, magnâ ter voce vocantis.
 Quippe alacres unâ senserunt pectore motus, 155
 Cùm ducis excelsi telisque insignis acutis
 Excepêre sonos. Illum nam in bella sequentes
 Devenêre domum famâ spoliisque superbi.

Phingalidae lecti, mediis quos Selma procellis
 Edidit, ad pugnas et funera mille virorum 160
 Ite, inquit; tumuloque sedens, ego praelia belli
 Despiciam; telumque meum vos pone sequetur,
 Si quid vestra salus poscat, vel casus iniquus.
 At, prout ipse reor, nullum quaeretur in usum,
 Dum stet Morniades, loricaque aptet ahenam
 Forti bellator dextrâ, ductorque phalangum, 166
 Omnia carminibus vatium per saecula canendus.
 Vos, almi proceres, defuncti corpore dudum,
 Quique inter nebulas liquidis equitatis in auris,
 Examines quicumque ruent certamine, nostros 170
 Excipite heroas, celsamque adducite Cromlam;
 Inde per aequoreos patrio vos, flamina, fluctus
 Convectate solo. Mentem per somnia visi,
 Obsideant, oro, molli quàm pace quiescam.
 I, Follane; puer fuscis i crinibus, Oscar; 175
 Nobilis i juvenis, lorica induite rigentem,
 Roena. Novum vobis gliscat sub pectore robur.

Pergite, magnanimum cursuque manuque sequentes
Morniaden Gollum, trepidantia terga prementem.
Nîl secus ac Gollus telis insurgite ; Gollum 180
Vestigate oculis altum, Gollique labores ;
Curaque sit vobis sociûm. Quos abstulit aetas,
Volvite mente viros. Si, fortia bella moventes
Erine, vulnificus letho demiserit ensis,
Vos, mea progenies, vos ipse repentè videbo. 185
Quot sumus, exangues erimus sine corpore formae
Continuò ; patrias rupes et celsa jugorum
Culmina consortesque auras nubesque colemus.

Tendit iter Selmae dominus, quâ semita monstrat,
Angustaeque ferunt fauces, ceu turbida nubes, 190
Obsita fulminibus, sub lumina Solis et ortûs
Cedit ad Occasum : liquidâque ut nocte cometes,
Bina manu lato fulgent hastilia ferro ;
Flamina diffundunt canos. Quos liquit, amicos
Anxius obtutu conversus saepe legebat ; 195
Tresque sequebantur vates, qui jussa referrent
Regia. Sublimi tandem sub rupe locatus*,
Fulgentemque regens gladium, nos inde regebat.

Fervidus ibat ovans Oscar : maduère rubentes
Olli rore genae ; dextrâ fulgebat, ut ignis, 200

* Nota, D.

Ferri acies, patri juvenis cum talia dixit.
 Dux ô bellipotens, invictaque dextera plagis,
 Da mihi te, genitor, facilem ; cursu pete regem
 Morvenium, famaëque tuæ verique laboris
 Fac mihi pars cedat. Quod si procumbere fors est
 Me pugnâ, niveum pectus, Conâque relictam, 206
 Respicias, quaeso, nympham, quam corde recepi,
 Toscare progenitam magno ductore cohortum.
 Nunc queruli roseas obvertit gurgitis undæ
 Maesta genas ; ventis nigrum dat spargere crinem ;
 Oscara voce vocat. Defunctum corpore me dic 211
 Ire levem clivis, superas pallere per auras :
 Ast ego, nube citâ posthâc trans aequora vectus,
 Obveniam decorique meo charaëque puellæ.
 Quò tua te rapuit pietas, quò gloria laudis, 215
 Orsa, inquam, referens ? Tu me, tu conde sepulchro
 Gnate, patrem : mediis equidem rutilantibus armis
 Agmen agens, Oscar, non unquam fortibus ausis
 Absistam, cedamve loco. Te dextera patris
 Virtutem doceat clarosque magistra triumphos. 220
 Quà lapis assurgens longum mihi servet honorem,
 Mox cervi cornu gladiumque arcumque repone,
 Antiquum in morem, lethi penetralibus arctis.
 Non mihi lux animæ superat, non dulcis amica, 224

Quam tibi nunc mandem, quoniam mea candida
Occidit, egregiûm proles Evirallyn avorum, [conjux
Quam genuit Branno praestanti robore et armis.

Talia per Lenam nos inter dicta dabamus,
Cùm vox increpuit Golli, velut omne remugit
Turbine ventorum pelagus. Jam sustulit ensem 230
Bellator ; plagisque necique accurrimus omnes,
Æstuat ut rabie spumatque tumetque sonorus
Oceani fluctus, reboatque elatus in altum ;
Atraque ceu rupes, cujus sub vertice aquae vis
Exultat, certus non cedere, restitit hostis ;
Virque viro, chalybique chalybs se miscuit ardens.
Ceu centum centumque unâ se brachia tollunt,
Exercentque cavo ferrum fornace recoctum,
Arma insurrexêre armis, strepitumque dederunt.

Ibat Morniades, qualis ruit Ardvne turbo ; 240
Spargebatque necem gladio : vastator ut ignis,
Gormalis in clivo summoque cacumine flagrans,
Æquora per campi saevus se Suaren agebat.
Quid ferri memorem plagas ? quid carmine dicam
Funera ? Sublatus tepuit mihi sanguine mucro 245
Fulmineus ; stragemque dabas, mea maxima proles ;
Gaudebamque equidem, cùm te tot dira videbam
Vulnera jactavisse manu. Se territus hostis

Corripit ; instamus tergoque necique volantis.
 Namque resultantes sicut de culmine collis 250
 Praecipites resonant lapides, validaeve secures
 Quercubus incumbunt gemitumque sub aethera
 jactant,

Terrificumque velut comitante fragore peragrat
 Ardua terrarum tonitru, geminaverat ictus 255
 Lethiferos Oscar, genitorque haud mollibus armis.

Ast alibi Gollum, clypeo telisque nitentem,
 Circuitu Suaren rapido dextrâque premebat,
 Pontus ut Orcadicus, totis ubi refluit actus
 Viribus oceani, sese sub littora fundit.

Vix se continuit, vix non et sustulit hastam 260
 Arboream surgens Phingal ; vocesque profundens,
 Ocyùs, Ullin, ait, monitum trans aequora campi
 Fer nostrum ; Gollo, telis quae fortia gessit,
 Bellantesque patres, lapsum quos abstulit aevum,
 Fac memores ; cantuque viros pugnasque cieto. 265

Haud mora, grandaevus figit vestigia vates,
 Magnanimique ducis sic est affatus ad aurem :
 Maxime Morniade, spumantum ductor equorum,
 Turbine qui torques hastam, gladiumque coruscas
 Horribilem visu, fatis agitatus iniquis 270
 Altior assurgis victor, majorque videris,

Bellipotens misces lethalia vulnera, jamjam
Scinde hostem, penitùsque feras absume catervas ;
Nec ratis Orcadici findat maris aequora ad Arcton.
Sicut porta tonat coeli, tua dextra fragores 275
Ingeminans fundat vastos ; stent lumina flammis ;
Cor praestet rupem ; gladius, ceu fulguris ignes,
Eniteat ; qualis magnum per inane vagatur
Stella viam sulcans longam praenuncia lethi,
Emineat clypeus, spumantum ductor equorum. 280

Excitus his dictis, animos erexerat heros ;
At ferus immiscens ingentia praelia Suaren
Illius infregit clypeum, gentemque fugavit.
Prorumpit Phingal ; magnâque ter aethera complet
Voce. Repercussis fremuit sub cotibus altis 285
Cromla suis : geniti deserta per avia gressum
Compressêre viri, vultumque pudore rubentem
Demisêre. Premebat enim praesentia regis *,
Qui venit, sicut coelestibus humida nimbis
Monte ruit nubes, ubi Sol violentior ardet, 290
Expectantque imbrem sitientia prata rigantem :
Per vallem, primùm montano tramite lapsus,
Quaerit iter tacitus modicarum rivus aquarum,
Continuòque gemit pluviâ subeunte procellâ. 305

* Nota, F.

Fervidus adversum prospexit Phingala Suaren,
 Continuitque gradum ; torvusque innisus in hastam
 Lumina per latum torsit flagrantia campum ;
 Utque haeret tacitus nisuque infixus eodem,
 Immanem assimulat quercum, quae saecula vicit
 Lubaris ad ripam, nudataque fulmine ramos 300
 Incumbit lymphis. Canus dat sibila muscus,
 Nil secùs ac ventis passi per tempora crines.
 Substitit haud aliter, fuscas in fortia parmas
 Praelia rex cogens, Suaren ; paulùmque moratus,
 Sanguineum scandit clivum. Stant millia circum
 Multa ducem, campumque umbris ingentibus im-
 plent.

Ipsè suos inter, coeli ceu purior ignis,
 Fulgebat proceres Phingal : post terga premebat
 Laeta manus juvenum bello ; mandataque fundens
 Regia, rex inquit, mea signa attollite in altum. 310
 Per Lenam rutilent, veluti super aequora ponti
 Vis flammae ; crepitentque auris, pugnamque la-
 cessant.

Quos hùc miserunt, fremebundis concita lymphis,
 Flumina, perque cavas centum labentia valles,
 Ore favete, omnes ; gladium qui tollis acutum, 320
 Golle, manu ; bellis Oscar celebrande ; decorum

Cingis qui clypeum, Connal ; fuscisque capillis
Vir, Dermid. Laeti vestras expromite vires
Morvenidae : praesto, spiras qui pectore versus,
Sis mihi, Phingalide ; ferroque abscinde catervas. 525

Protinùs hastili sublatum pandimus ingens
Vexillum regis. Nova gaudia sensimus omnes,
Ut fuit explicitum mediisque pependit in auris
Hoc jubar, hoc bullis auroque insigne coruscum,
Qualis vel coeli facies fulgentibus astris 530
Noctem sub placidam. Vexillum ductor habebat
Quisque suum ; chalybemque ducis delecta virorum
Turba sequebatur, pulchrisque nitebat in armis.

Tum sic rex Phingal, cyathi rex munere felix.
En modò Lochlineae spatia in contraria gentes 535
Agmine partito cedunt, ceu nubila, postquàm
Turbidus imber aquâ coelo descendit ab alto ;
Semustumque nemus referunt, cui fulminis aestus
Nudavit densos frondenti vertice ramos,
Immisitque diem, penetralia caeca recludens. 540
Vos ergo, rerum fiducia magna mearum,
Dicite, ductores primi, cui quisque maniplo
Hostibus è nostris optet certare paratus :
Audendumque, viri, ne quis per caerula ponti

Lochlineus, clivis medius mediusque severis 345
Natus apris, patrias valeat remeare sub oras.

Suscepit Gollus : praestanti corpore septem
Cominùs aggrediar * proceres, Lanone profectos ;
Meque utinam subeat fuscis dux crinibus, Eric,
Fervidus Oscar ait, genuit quem carminis auctor ; 350
Nil ego, tum Connal, tecum contendere telo,
Rex Innisconae, renuo, saevissime ductor ;
Aut ego transfossus, Mudanve jacebit arenâ,
Velox subjecit Dermid. Nunc corpore lassus,
Thormineum legi miscentem bella tyrannum, 355
Cui me dempturum confidentissimus ensem
Caeruleum cecini clypei que insigne decorum.

Vivite, felices animae, decoretque triumphus
Quemque ducem, placidâ dixit rex indole, Phingal.
Ipse ego te, Suaren, valida in certamina posco. 360

Ut centum strident venti sub montibus, utque
Per centum volitant valles, glomerantque procellam,
Irrupère viri, genuit quos ardua Morven ;
Umbrarumque locus, fremit horrida Cromla tumultu.
Quis tantae cladem pugnae, quis funera dicat, 365
Quae nos edidimus saltu sub littore ponti ?

* Nota, F.

O, quam progenuit Toscar, lectissima rerum,
 Conserimus dextras ; dextraeque cruore madescunt.
 Fractae procubuère acies, velut agmine aquarum
 Ripa ruit Conae ; promissis mansit et heros 370
 Quisque suis ; felix nobis victoria cessit *.

Saeptius ad Brannam trepidum fugientibus undis
 Ipsa resedisti, venatûs fessa labore,
 Cùm molles quateret tibi creber anhelitus artus,
 Exsereresque sinum, qualem sub gurgite nudat 375
 Albus olor, ventis tendens crepitantibus alam :
 Montis et aërii se condere culmine solem
 Vidisti roseum, circùmque nigrescere nubes ;
 Nec mora, se venti rupêre cubilibus atris,
 Turbine verrentes terram ; ruit aethere nimbus ; 380
 Increpuit longè tonitru latèque remugit ;
 Terribiles ibant formae trans aequora mistis
 Fulminibus ; cecidit fera visque, ruinaque saxi ;
 Fluctibus indignans gemuit sub littore torrens †.
 Talis erat pugnae facies, horrorque, fragorque, 385
 Ore decens virgo, virgo candore nivali.

Quid fles, Toscrine? quid rumpis pectore questum?
 Illacryment potius, gremio suspiria fundant
 Lochlinides. Nimio tepuit nam sanguine ferrum,

* Nota, G. † H.

Quod nostris micuit manibus, quod perdidit hostem
Planitie magnâ Lenae sub littore ponti. 391

Ille ego, qui tantis olim comes additus ibam
Principibus, caecâ duco caligine vitam,
Fletibus ora rigans. Mecum sortire dolores,
Funera qui moestus duxi tàm multa meorum. 400

Inter pugnandum praeclari nominis heros
Inciderat dextrâ regis, regiique dolendus ;
Versabatque senex* immundo pulvere canos.
Illum Comalides torquentem lumina Phingal
Vidit ; et agnoscens dictis affatur amicis : 405

Tunc jaces, Agandaecae fidissime Matho ?
Lochline te vidi largos effundere fletus,
Occidit ut malas virgo formosa rubentes.
Tene meum petiit telum, te vulnere vicit,
Qui mihi dilectam defendere nisus ab irâ 410
Patris erat nympham, casu concussus iniquo ?
Huic, Ullin, cantu da splendida munera laudum ;
Mathonem manda terrae, decoraque sepulchro.
Ductoris nomen saeculis demitte futuris,
Qui procerum decori generosus faverat almo : 415
Imis namque mihi sub sensibus haeret imago
Virginis eximiae, gremio quam detinet Ardven.

* Nota I.

Sub Cromlâ, misero turbatus pectora bello,
Audiit armorum crepitum pugnamque severam
Cuchullin ; notumque vocat sublimibus armis 420
Connala, Phoeniadenque senem. Jamque ocyûs ad-
Qui densis medii clypeis mediique periclo [sunt,
Canuerant ; acremque vident effervere pugnam,
Non secûs ac subeunt fluctus bacchantibus Euris
Littus arenosum, totumque exaestuât aequor. 425
Ardet bellator, frontemque in nubila cogens,
Corripit, à multis gestatum patribus, ense ;
Flagrantesque oculos conversus figit in hoste.
Tèr molitur iter, tèr contra continet illum*

Obnixum Connal ; facilique haec ore profatur : 430

Optime, siste gradum, ductor, cui roscida servit
Insula : rex gladio Phingal jam demetit hostes ;
Illius è meritis noli decerpere quidquam
Laudibus ; ipse atrî grassatur turbinis instar. 434

Nuncius ito igitur, Carril, dux Erinis inquit,
Morvenis ad regem ; dominantem vallibus altis,
Ductorem salvere jube, pia gaudia miscens
Vocibus ; utque acie, fractis jam viribus, ibit
Pulsa semel Lochlin, qualis, qui proluit agros, 439
Turbidus amnis aquâ cedit ; cum praelia ponent,

* Nota, K.

Phingala sub coelum victorem laudibus effer.
Huic da Cabadis gladium, spoliare vetustos
Assuetum proceres. Quoniam victoria fugit,
Haud gestare decet Cuchullina tela parentum. 444
Vos, vitae tenues, colitis quae devia Cromlae,
Magnanimûm heroum Manes, jam luce carentum,
Este mihi comites curis ingentibus aegro :
Vos, oro, vestris me compellate susurris
Saxa per aërii montis caecasque cavernas.
Ceus sidus, micui ; sicut, quas flamina pulsant 455
Mane, jugis abeunt nebulae, mea cessit in auras
Incluta fama loco. Mecum de fortibus armis
Mitte loqui, Connal : non me vaga carmina dicent.
Hinc per turbineam solus suspiria Cromlam
Nocte dieque traham luctu, dum vita manebit. 460
Ne, Bragella, meum cessa deflere profundis
Demersum tenebris nomen : certamine victus
Non patrios fines, non te, lux alma, revisam.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI QUINTI ARGUMENTUM.

Tumulum è Cromlae assurgentem clivo occupant adhuc Cuchullin Connalque ; ibique moerentem illum hic solari tentat. Phingalis et Suarenis describitur certamen ; Suarenque tandem superatur, atque Ossiani Golloque traditur custodiendus. Inde Phingal caeterique filii fugientibus instant hostibus. De Orlá, inter pugnandum graviter vulnerato, pauca dicuntur : illiusque commotus obitu, parcendum ferro monet Phingal ; et revocatis filiis, Roenam natu minimum interfectum fuisse intelligit ; ipsumque plorat. Jamque, audito carmine, quo Lamdargi et Calchossae lethum antiquitùs celebrabatur, sepulchroque Roená, repetit Suarena. Venit intereá ad Ossianem Carril, qui inter se colloquuntur.

PHINGALEIS.

LIBER QUINTUS.

TUNC ita solari Cromlae super ardua Connal
Gemmiferi currûs dominum, Cuchullina, tentat.
Quid te squalor habet? quid tristia corde volutas,
Cuchullin? Fugiunt hostes; nostrique per agros
Viribus invicti palantia terga sequuntur. 5
Quin tua te, ductor, sublimem gloria tollit:
Plurima miscueras belli certamina; plures
Iste tuus proceres acie compescuit ensis;
Caeruleisque oculis uxor flavisque capillis
Obvia saepe tibi vultu subrisit honesto, 10
Cum fractus demùm tumulo requieverat hostis,
Tuque domum victor, turbâ comitante, redibas,

Fulgebantque viae spoliis, plausuque sonabant.

Illam dulce melos, vatum vox aurea centum

Mulcebat, sensusque alacres sub pectore movit. 15

Phingala* tu contemplator; micat aequore campi

Loricam indutus rutilam, velut Æthere fulmen;

Vique viget, sicut nimbis torrentibus auctus

Lubar in immensum, turbove per avia Cromlae,

Annosas sternens quercus sub frigora noctis. 20

Quàm tuus† est felix populus, dux maxime, Phingal!

Omnia, cùm bellas, miscet tua dextera victrix

Praelia; consilio praestas, ubi pace quiescis.

Mille regis dicto gentes; quatis agmina ferro.

Quàm tuus est felix populus, dux maxime, Phingal,

Qui Selmâ prodis, latè qui Morvene regnas! 26

Quis rapit ille autem sese, tonitruque sequaci

Nigrescit gradiens? an non Starnonia proles,

Morvenium quaerens regem, virtutibus actum?

Huc geminas huc flecte acies; hos aspice reges 30

Congressos. Crepuère armis; pugna aspera surgit,

Qualis, cum gemini, diversis partibus orbis

Turbine ventorum delati, fluctibus alti

Incumbunt Lemures, legesque indicere certant:

Auribus arrectis venator murmura captat, 35

* Nota, A.

† B.

Oceanumque videt, convulsum sedibus imis,
Exsultare procul, lustrisque subire ferarum.

Talia fundebas, Connal, cùm praelia reges
Consererent, populusque hinc inde occumberet armis.
Ferreus it stridor; crebris sonat ictibus Æther. 40
Haud aliter quàm si centum centumque recoctum
Brachia procudant ferrum. Mox unus, et alter
Totus inhorruebat saevo certamine ductor.

Defecêre orbis clypeûm; galeisque minaces
Dissiluêre enses. Jactis per gramina telis, 45

Captavêre viri sese; validusque lacertus
Hinc atque hinc vastum vasto luctamine dorsum
Astringit, versatque tenax, per aperta locorum
Abductis retrò pedibus. Furor aestuat ingens;
Jamque locus* tremuit pulsu, nemus undique cir-
cùm 50

Frondosum tremuit, tremuerunt saxa jugorum;
Oceanique cadit dominus; jacet ipse subactus
Suaren humi. Geminos Conae sub finibus olim
Sic equidem vidi, Conam non inde videbo,
Praecipites labi tumulos, quos sedibus egit 55
Turbidus indignans montano flumine torrens;
Cùmque ipsi ruerent, ingenti robore quercus

* Nota, C.

Miscebant patulos nexae per mutua ramos.
 Omnigenae tandem moles convalle quiêrunt,
 Divisisque ibat torrens jàm mollior undis : 60
 Ripa diu rubuit pòst è regione viarum.

Nunc ô Morvenidae, tantum custodia servet,
 Phingal ait, regem, cujus stant pectore vires,
 Quales exagitant pontum fluctusque volutant.
 Maximus est armis ; revocatque ab origine gentem
 Antiquâ. Faciles dux optime, Golle, cohortum,
 Ossianesque, gravi numero suavissime vates,
 Huic date vos socios : depellite pectore curas :
 Est Agandaecae germanus, virginis almae,
 Quam colui primam juvenis, semperque verebor. 70
 Verùm, Oscar, Follane, ac rufis Roena capillis,
 Vos instate* hosti. Juvenes, pede carpite Lenam,
 Qui rapidos acri cursu praevertitis Euros.
 Quotquot Lochlinidae superant compescite ferro,
 Ne quas hùc mittat longas exinde carinas 75
 Insula, tot ratibus totque apris obsita magnis.

Corripuêre viam, perflant ceu flamina clivum :
 Tardaue ceu nubes, sese rex Phingal agebat ;
 Insonuitque instar tonitru, cùm manat in agros
 Caerulus Æstivos imber ; fervensque refulsit 80

* Nota D.

Illius telum, rutili ceu spicula Solis ;
Utve sub obscurum noctis trans Æthera longam
Stella viam signans, facies currusque citatus
Horribilis Larvae luctumque necemque minantis.
Ibat, et adversum missumque à Lochline vidit 85
Ductorem ; subiensque haec imo corde profudit ;

 Quis juxta scopulum rivique frementis ad oram
Tristis inhorrescit vultu, curisque gravatur,
Obnixusque nequit sese transmittere saltu ?
Ille quidem praestat formâ, scutumque sinistrâ 90
Attollit, dextrâque hastam fert arboris instar.
Qui vultum condidit luctu, da, nobilis heros,
Oderis an memet, velut implacabilis hostis ?

 Lochline, respondit, veni ; certamine parmam
Objicio validam. Mea flet lectissima conjux, 95
Ah ! tanti praesaga mali ; nunquamque videbo
Auricomam toto nympham mihi corde receptam.

 An mihi te dedis, mavisve lacescere bellum ?
Acer ait Phingal : non me quis vicerat unquam :
Exsuperantque mei virtute ac fortibus armis. 100
Temet da comitem, celebra convivia mecum,
Alipedesque feras agita per Morvenis oras.
Non ita, Lochlineus : fractis mea dextera rebus
Affuerat semper, durumque rotaverat ense,

Invictumque acie, qualem nec sustulit alter.
Morvenis haud renuat rex se mihi dedere victum.

Non me dedideram cuivis, non dedere fas est,
Phingal ait, victum. Si quam spem ponis in armis,
Delige, cui certes, quemvis tu cùnque meorum :
Circumstant plures : hos excitat ardua virtus. 110

Mene igitur spernis ? mecum pugnare recusas,
Orla refert, Phingal ? Dignus concurrere mecum
Es, Phingal, dignusque tuis è millibus unus.
Si me fors pugnâ procumbere, Morvenis ô rex,
Quippe dies bellatorem manet ultima fortem, 115
Fac mihi constituas immani mole sepulchrum,
Caeruleumque ense, missum trans aequora, conjux
Excipiat dilecta mihi, quae lumina flectit
Mollia. Delatum, lacrymis suffusa decoris,
Ostendet gnato chalybemque, decusque parentis 120
Eximium ; puerumque dolens ad bella ciebit.

Talia quò memoras ? quid me vulgare dolorem *,
Phingal ait, cogis fletu ? quò tristia versas ?
Stat sua cuique dies ; nati serique nepotes
Exesa inspicient rubigine tela parentum. 125
Orla, tibi surget tumulus ; tua candida conjux
Imbuet effusis allatum fletibus ense.

* Nota E.

Jàm pugnas ineunt ; Orlae sed dextra recusat *
Praelia : decisis vinclis, cadit illius umbo,
Commotum veluti subitò se condit in aequor 130
Luna sub Occasu. Gladium, rex Morvenis alte,
Tolle, ait Orla ; feri ; lacerum mihi transige pectus.
Hïc fessum plagis liquit me turba meorum ;
Hauriet ac conjux Lothae fugientis ad undas
Quem timuit casum, luco cùm sola vagetur, 135
Et molles tepeant zephyri tractimque susurrent.

Non ego, tum Phingal, feriam te, nobilis ô dux ;
Nec sedet hoc animo. Lothae fugientis ad undas
Optima quèn videat virgo quem diligit Orlam,
Erineâ reducem terrâ saevoque tumultu ; 140
Te canus videat genitor, nisi maximus aevo
Lumine sit captus ; gressum vocesque per aedes
Audiat ; ad tactum tractans te, gaudia captet.

Optime rex Phingal, nullo me tempore tanget,
Dux inquit fortis, Lothâ qui flumine venit : 145
Lenae procumbam campo. Certamine qualis
Ferbuerim duro dicent per saecula vates.
Balteus hic latus lethalia vulnera condit,
Quae nunc diripio tradoque hostilibus auris.

Dixit, et extemplò fudit de pectore rivos 150

* Nota, F.

Purpureos ; fulvâque cadit jam pronus arenâ.
 Rex superincumbit singultibus ilia longis
 Pulsantem miserans ; juvenesque ex agmine lectos
 Compellans, inquit, sublimem laudibus Orlam 155
 Tollite ; humo mandate ducem ; superaddite saxum.
 Squalidus in tumuli jaceat nigrantibus umbris
 Per Lenam, charâ diversus conjuge, rauco
 Diversus Lothâ, trepidante fugacibus undis,
 Limine diversus proprio turbâque faventum.
 Arboreum posthâc Orlae mirabitur arcum 160
 Surrectura aetas, summâ nec tendet opum vi.
 Illius exululant catuli, gaudentibus apris,
 Quos pressit studio fervens. Crudelibus armis
 Concidit heu ! belli fulmen, vir maximus, Orla.

Cornua Morvenidae, rebus spectata juvenus, 165
 Undique dent sonitum : cantu citharisque levemus
 Suarena, sollicitum curis. Percurrite campum
 Mox, Oscar, Follane, ac rufis Roena capillis :
 Parcite Lochlinidis, oculosque advertite blandos.
 Heus ! ubi Roena ? gradus haud segnis ferre solebas,
 Cùm te rex Phingal, cùm te pater ante vocâset.

Roena tuus, Phingal, vates tum reddidit Ullin,
 Aethera per magnum formis victricibus adstat ;
 Scutorum dominum comitatur, Trathala ; fortem

Trenmora pone subit. Convexi tramite collis 175

Corpus inane jacet : jamjam color ora reliquit

Purpureus. Ceciditne, inquit rex Morvenis altus,

Assuetus cursu juvenis praevertere cervos,

Quique habilem validis curvabat viribus arcum ?

Vix miscere manu vidi te fortia belli 180

Praelia : quid primo cecidit certamine Roena ?

Da precor, ô juvenis, placidam per membra quietem :

Te mox aspiciam ; mox obrutus ipse silebo ;

Mox iter omne meum vanescet ubique locorum.

Soli me vates, saltus, lapidesque loquentur. 185

Roena jacet ; Roenae sonuit nec fama sub auras :

Plecte fides, Ullin ; fidibusque adjunge sonoris

Carmina ; nunc Roenae laudes dic funere mersi ;

Æternumque vale, quo non fuit acrior ullus.

Inde magistra tuam non jam mea dextra sagittam

Diriget : O formose puer, mi gnate, valet. 191

Jam lacrymis Phingal malas humectat amaris,

Ut repetit, qualis fuerit certamine Roena.

Namque ferox juvenis referebat fulminis ignem,

Ardvene sub noctem visum, cursuque virentes 195

Vastantem sylvas : latè lucere viator

Laetatur secum flammis ; sed splendidus ignis

Eripitur subitò, ventis post saxa jugorum
 Extinctus; mundusque latet nigrantibus umbris.

Cùm semel emotae curae, pulsusque parumper 200
 Corde dolor tristi est, voces has ore profudit
 Rex felix Phingal felicitis munere conchae:
 Quos viridans memorat tumulus, quos quatuor isti
 Muscosi lapides, exilia luce carentum
 Limina servant ductorum, dicite, vates; 205
 Adjunctusque viro, bellis qui ferbuit olim,
 Filius hoc ipso tumulo meus usque quiescat.
 Conscia nam virtus, laudumque immensa cupido
 Sors tua, Roena, fuit. Non hinc per nubila solus
 Caeruleasque plagas nimbosque vagabere coeli. 210
 Ullin, ab antiquo missum dic tempore carmen,
 Quodque refert quales terreno ex aggere bustum
 Hoc premat heroas. Si nunquam terga dederunt
 Hostibus, his positi, consors sit Roena sepulchri;
 Hos habeat socios. Diversum Morvene, charum 215
 Oris, Lena, tuis gnatum sopor altus habebit.

Talia tum vates; nec abest facundia dictis:
 Hoc tacito premitur tumulo Lamdargus, et asper
 Rex armis, Ullin. Sed quaenam margine nubis
 Despiciens vultum virgo protendit honestum? 220
 Quid te, prae cunctis Cromlae formosa puellis,

Pallor habet? Proceres inter, per mutua laesos
 Vulnera, tunc jaces? O Tutalis alma propago,
 Mille quidem fueras spes invidiosa procorum;
 Unus at usque tuos habuit Lamdargus amores. 225
 Is venit Turam, clypeique insigne decorum
 Percussit; secumque has fudit pectore voces.

Quò sese Galchossa tulit lectissima rerum,
 Quam genuit Tatal, magnis virtutibus actus,
 Quamque meis liqui moerentem turribus altis, 230
 Nobilis Ulfaddae telis occurrere certus?

Dicebat: Lamdarge, redi; dolor ossibus ingens,
 Dum venias, haeret; suspiria pectore rupit
 Tristia candenti, roseas et sparsit oborto
 Rore genas; reduci que mihi non obvia se fert, 235
 Mollibus alloquiis animum post praelia mulcens.

Non resonant citharis aedes; non carmina vates
 Ulla mei fundunt; alacer non ipse catenam
 Concùtit ante fores Brannus, prout ante solebat.
 Quò sese Galchossa tulit lectissima rerum, 240
 Quam genuit Tatal, magnis virtutibus actus?

Fòrs, Lamdarge, inquit generatus Aödane Feras,
 Aërios Cromlae clivos Galchossa pererrat,
 Virginibus comitata suis cervosque fatigans.

Haud, Lamdargus ait, strepitus mihi redditur ullus

Venantum ; tumulis latè campisque siletur ; 246
 Non ego prospicio cervum rapidosve catellos ;
 Non video nympham, toto mihi corde receptam,
 Quaeque decore refert Lunam, post saxa cadentem.
 Alladen subeas, canis cui spargitur aetas 250
 Frigida, cui Lapidum circus gratissima sedes :
 Expediatque utinam quà nunc Galchossa vagetur.

Paruit actutum generatus Aödane Feras,
 Secretumque senem verbis scitatur amicis :
 Accola dic clivi, placidis dic moribus Allad, 255
 Quid tibi prospectum est, vir longis obsite saeculis ?

Inde senex facilis : prospexi Carbere cretum
 Ullina ; descendit Cromlâ ; cantumque ciebat
 Guttore sub rauco, veluti si murmuret Auster
 Per lucum foliis nudum. Sub limina Turae 260
 Se tulit ; et, mecum, clamat, certamina tenta,
 Dux, Lamdarge, ferox ; armisve inglorius esto.
 Tolle moras omnes, bellator ; consere dextram.

Respondit Galchossa, domo se detulit heros
 Optimus ; aggressusque Ulfaddam, praelia miscet,
 Maxime rex, Ullin. Non ulli cesserat unquam 266
 Lamdargus ; renuet nec vel contendere tecum.

O qualis tibi frontis honos, quàm mira venustas,
 Ullin ait, fidens animis ! Lectissima proles

Tutalis, aërias invisēs Carberis aedes, 270

Hospitio notas. Temet fortissimus armis

Dux habeat; Solesque ego ternos monte morabor

Cromlano, poscamque lubens in praelia fortem

Lamdargum telis. Quod si contendere nolit,

Te lux quarta mihi propriam, Galchossa, dicabit.

Retulit ut gressum Feras, remque ordine pandit, 276

Te, Cromlae dixit dominus, te suaviter, Allad,

Somnia sub noctem circumstent rupis in antro:

Classica jamque sonent, Fera; procul audiat Ullin,

Ingentem veluti resonantem valle procellam. 280

Continuò scandit Cromlam, se carmine solans.

Summa tenens, partes sese versabat in omnes,

Turbida seu nubes, ventis discordibus acta:

Utque erat impatiens, clivo resonabile saxum

Devolvit belli signum. Ferus audiit Ullin 285

Carberides, sensitque alacres sub pectore motus,

Vulnificamque ardens genitoris sustulit hastam;

Armaque dum caperet bello contendere certus,

Ora serenabat risu. Sub culmina Cromlae 289

Tendit ovans, cantumque ciet, gladiumque coruscat.

Carberiden Galchossa videt nebulae instar euntem;

Lamdargoque timens, pectus candore nivali

Terque quaterque manu tundit. Mox Carbera dictis
 Accedit, simulatque animum, veniamque precatur :
 Maxime dux aevo, felixque per omnia Carber
 Hospitibus, subit ire jugo, celeresque sagittas 296
 Spargere, quà furvos video consistere cervos.

Carpit iter praeceps virgo ; sed tarda subivit.
 Concurrêre viri ; pugnatum est cominùs armis.
 Quìd Selmae domino referant mea carmina qualis
 Pugna foret, centum qui certavisse phalangas 301
 Viderat? Extinctus gladio ferus occidit Ullin.
 Pallidus advenit nympham Lamdargus amatam,
 Quam genuit Tatal, notus victricibus armis.

Illa ubi torpentem medio discrimine lethi 305
 Senserat, heu! quinam, dixit, charissime, sanguis
 Iste ruit? sanguis, respondit maximus heros,
 Ullinis est, jactis nivibus per culmina Cromlae
 Candidior virgo gelidis: me me sine dorsum
 Sternere humi; morior; durat per saecula nomen.

Vix ea fatus erat, cùm jam se corpore solvit 311
 Turriti dominus tecti; Galchossaque clamat,
 Nunquid in aeternum clausisti lumina somnum,
 Rex Cromlae? Tres illa dies exinde resedit
 Corpus ad exanimum. Cùm quarta refulserat Eos,
 Flebilis invenit venator lumine cassam. 316

His tribus extractus fuit hic, rex Morvenis, agger:
Hos inter positum Roenam non parva sequetur
Gloria, per summosque ferent nova gaudia montes.

Hoc igitur tumulo compostus Roena quiescat, 520
Rex inquit Phingal, placidâ tum voce locutus:
Namque meas horum crebrò laus impulit aures.
Huc Orlam, juvenes, pallenti funere mersum,
Ducite. Non tumulo sine compare, Roena, jacebis;
En subit Orla tibi. Lacrymarum flumina fundant
Morvenides moestae; squalore recondite vultum
Lothaides. Sicut convexi tramite collis
Vimina pubescunt, heroes corpora firmant;
Absumuntur, uti, stratae sub vallibus imis,
Ingentes quercus, pleno quas proluit annis 330
Flumine transversas, aestusque ac flamina siccant.
Quales hi fuerint acie satis aspicias, Oscar;
Bellaque si moveas, horum te fama perennis
Excitet; haud secus ac Roenam te carmina dicant.
Totus inhorrueras bello, mi Roena; domoque* 335
Blandus eras visu, qualis vel roscidus arcus,
Qui procul adversâ saltûs regione renidet,
Cum prope culminibus Morae Sol conditur altis,
Lustraque cervorum longè latèque silescent.

* Nota, G.

Quem natu genui minimum, te, Roena, sepultum
 Lena sub hoc saxo foveat ; rursusque valet. 341
 Nos quoque decidimus : quantùmvis maxima, virtus
 Nostra ruet, solersque omnis prudentia rerum.

Talia fundebas lacrymans, rex maxime telis,
 Creditus aeternùm tumulo quùm Roena sileret :
 Ossianem quantus miserum nunc luctus adumbrat,
 Cùm tu sis vitâ cassus, rex optime regum !

Aurè tuas nequeo dulces haurire loquelas,
 Cernere non oculis captus sine corpore formam.
 Assideo multosque dies noctesque profundas 350
 Frigidus ante tuum positum sub colle sepulchrum ;
 Admoveoque manum, coelo te laudibus aequans
 Carminibusque, pater. Si te dispergere voces
 Fortè rear circùm, Zephyri me flamina fallunt.
 Te sopor altus habet longo pòst tempore lapso. 355

Lubaris ad ripam victo cum Suarene Gollus
 Ossianesque aliâ custodes parte sedebant ;
 Argutoque fides plectebam pollice, si quà
 Fas foret illius duros lenire dolores.
 Lumina defigebat humo ; sub corde premebat 360
 Infaustum tacitus bellum clademque suorum.

Suspiciens autem, magnum Cuchullina vidi *

* Nota, H.

Ire supercilio Cromlae. Quùm, gaudia curis
Admiscens, Lenâ devincere Phingala sensit,
Segniùs ille gradum Turæ referebat ad antrum,
Queis ibat telis et luce coruscus ahenâ
Sole sub adverso ; paribusque nitebat in armis,
Pone sequens, Connal. Jàm culmina summa ju-
Exuperant, sicut de nocte per ardua collis [gorum
Ignis edax nemorum fertur, datque undique lucem,
Cùm sequitur Boreas, crepitatque incendia miscens.

Rupe sub ingenti Turæ spelunca cavatur :
Spumeus it praeter rivus ; stat desuper arbor,
Annosos tendens ramos, tractimque susurrans ;
Ante fores ventus scopulos hinc inde fatigat. 375
Hïc moestam posuit sedem Semonia proles,
Infelix volvens turbato pectore bellum,
Irroransque genas lacrymis. Desiderat altum
Nomen enim ductor, debellatorque phalangum :
Tu, Bragella, procul vitam Duncaside degis ; 380
Conjugis et coràm non fas compescere luctum.
Illius ast oculis tua sese sistat imago,
Ore notata pio, purâque in luce refulgens,
Attolletque animos ; renovari pectore vires
Sentiet, ac magnum nomen primamque locari 385
In solido rursus famam ; quamque arserat unam,

Temet, dulce decus, placatâ mente fovebit.
 Quis venit ille autem, senio cui tempora canent ?
 Ipse quidem Carril, qui condit amabile carmen *.
 Salveto ! vates, vir longis obsite lustris, 390
 Felix qui cantu centum discrimina vocum
 Obloqueris, veluti Turanae barbitos aulae ;
 Cujus et eloquium mentem dulcedine mulcet,
 Sicut mane novo sub lumina Solis et ortûs 395
 Ros liquidus, passim per amoena vireta nitescens.
 Da quò liquisti, Carril, Cuchullinis arcem ?
 Salve ! respondit vates, dux maxime telis,
 Ossianes, omnesque potis superare canendo.
 Tu mihi jamdudum fueras perque omnia notus,
 Bellator : citharam tetigi nervosque canoros, 400
 Pertentare volens sensus Evirallynis almae ;
 Insonuitque tibi sublatum ad aethera cantus,
 Praelia cum caneres, turbâ plaudente virorum,
 Hospitis excelsi, magnâ Brannonis in aulâ ;
 Miscebatque sonos Evirallyn ; solaque quâdam 405
 Illa die, lethum Cormacis carmine dicens,
 Laudibus eximiis, periit qui captus amore
 Ipsius, evexit juvenem, virtutibus actum.
 Intereâ lacrymis malas decorabat abortis,

* Nota, I.

Tuque tuas, memini, procerum vel maxime
princeps.

Nam quàmvis istum nil corde recepit amantem,
Ingenuâ doluit praestans haec indole virgo,
Quam genuit mensis Branno paterisque superbus.

Has mihi delicias, dixi, nomenque decusque 415

Ne memora: quoties repeto, calor ossa relinquit,
Udaque turgentes effundunt lumina guttas.

Pallida procubuit dudum tumuloque silescit

Nympha decore novo fulgens, meus optimus ignis.

Jamque sede mecum, spira tua carmina, vates,

Nil jucunda minùs, tepidi quàm flamina veris, 420

Quae captat venator hians, ubi somnia rumpit

Faucibus in montis, laetarique auribus haurit

Arrectis Genios, dulcemque profundere cantum,

Quo valles montesque sonant, sonat arduus Æther.

1. The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions and activities. It emphasizes that this is essential for ensuring transparency and accountability in the organization's operations.

2. The second part outlines the various methods and tools used to collect and analyze data. It highlights the need for consistent data collection procedures and the use of advanced analytical techniques to derive meaningful insights from the data.

3. The third part focuses on the implementation of data-driven decision-making processes. It describes how the organization uses the insights gained from data analysis to inform strategic planning and operational decisions, leading to improved performance and efficiency.

4. The fourth part addresses the challenges and risks associated with data management and analysis. It discusses the importance of data security, privacy, and the need for robust governance frameworks to mitigate these risks.

5. The fifth part provides a summary of the key findings and recommendations. It concludes that a data-driven approach is crucial for the organization's long-term success and offers practical suggestions for enhancing data management practices.

PHINGALEIS,

SIVE

HIBERNIA LIBERATA.

IN SEX DIVISA LIBROS.

LIBRI SEXTI ARGUMENTUM.

Superveniens describitur nox ; jamque canit Carril. Inde Rex epulis vacat cum Suarene aliisque. Compositae carmen pacis recinit Ullin, Tremoris et Innibaccae nuptias in medium proferens. Colloquuntur inter se Phingal et Suaren. Fabulam Grumalis narrat Phingal. Ferociam tandem luctumque ponens, aeternam Phingali Suaren amicitiam pollicetur. Decantant vates, citharasque plectunt. Cubitur. Multo mane proficiscitur Suaren cum fractis copiis in Lochlina. Venatum indicit Phingal ; Cuchullina invisit, recreatque ; posterâ die in Morvena, Caledoniamve, revertitur.

PHINGALEIS.

LIBER SEXTUS.

ÆTHERE præcipitant nubes ; nox * humida Crom-
lam

Circumfusa premit ; Boreae sub finibus ardent
Sidera, caeruleos jactis lustrantia fluctus
Ignibus Ullineos ; nebulae per inane vagantur
Parte aliâ ; longè sylvis immurmurat Auster ; 5
Caede madens ater silet undique et undique campus ;
Jamque infit blandi cantûs dulcedine mentem
Demulcere mihi Carril. Quos flore juventae
Novimus, ac laeto devinxit foedere longus
Usus amicitiae, moresque habitusque benigni, 10
Ipse canit, festosque dies, quos egimus unâ,
Nos ubi suscepit Lego, tot magna virorum
Illa parens, plenaque indixit pocula mensae.

* Nota, A.

Excita Cromla modos reddit ; multaeque per auras
 Circumstant animae, pronaeque in carmina pendent,
 Laudibus intentae propriis famaеque perenni.

Pertentent, oro, sensus tibi gaudia, Carril,
 Qui nunc turbinibus veheris, clivosque frequentas.
 Cur, dilecte, meam nil jam succedis ad aulam,
 Solus cùm duco noctem ? Succedis, amice ; 20
 Quamque tenet paries appensam, tangere lenem
 Te nosco citharam, numerumque ciere remissum :
 Serus et iste meas utinam sonus occupet aures !
 Quìd non alloquiis relevas me, mente jacentem ?
 Dic quando veteres liceat spectare sodales ? 25
 Par fugis, heu ! levibus ventis somnoque volucris ;
 Et mihi, te raptans, mediis fremit aura capillis
 Intempesta ! vale, proceres qui laude ferebas.

Ad Moram, centum sese quae subjicit altis
 Verticibus, coiêre duces, epulisque vacârunt. 30
 Mille ardescebant quercus ; totusque reluxit
 Mons circùm, lectosque hilaravit vivida pleni
 Vis cyathi * proceres. Unus sub corde premebat
 Saevum' rex luctum Suaren : fera lumina torvus
 Defigebat adhuc Lenâ, bellumque sinistrum 35
 Pectore versabat, stimulis agitatus amaris.

† Nota, B.

Hic meus in clypeum pater incumbibat avitum,
Nocturnisque dabat canam diffundere ventis
Caesariem, magno fulgore nitescere visam.
Senserat ut domitum nimis indulgere dolori 40
Suarena, motus ait : dic, Ullin, carmina pacis *
Compositae ; tandem mihi mens securâ quiescat ;
Omnis et armorum strepitus dirusque tumultus
Auribus absistant. Dominantem fluctibus alti
Centum hilarent citharae: non jam nisi laetus abibit;
Neve unquam liquit quis me sub pectore moerens.
Tunc, Oscar, dextrâ strictus mihi fulminat ensis,
Praelia cum fervent ; extemplò conditur idem
Vaginâ, simul ac campo concesserit hostis.

Talia mox Ullin, felici carmine notus. 50
Morvene rex multis Trenmor degebat ab annis,
Viribus exsuperans, sicut vastum maris aequor
Turbatum ; dubiamque viam tentavit ad Arcton,
Incumbens pelago, spumasque ac caerula findens.
Lochlineas tandem rupes sylvasque sonoras 55
Ante oculos nebulis medias consurgere vidit.
Littore vela legit ; sequitur fervoribus aprum,
Gormaleis aprum clivis lucisque frementem,
Qui plures cursu juvenes praeverterat acres ;

* Nota C.

Ast dedit exuvias victrici Trenmoris hastae, 60
 Vulnere se versans. Tres hoc insigne videntes
 Lochlinei facinus proceres, dixêre potentem
 Advenisse virum, magnum qui montibus ignem
 Flagrantem referat cinctus radiantibus armis.

Ocyùs indixit convivias lauta tyrannus 65
 Lochlinis ; acciturque heros virtutibus asper ;
 Tresque dies festos procerum nutrice potentum,
 Gormale rex egit Trenmor, certamina miscens
 Quae libuit ; nemoque fuit tam robore firmus,
 Trenmoriis demùm fessus quin cesserit armis. 70
 Mulcebant animos paterae ; cantusque ferebat
 Laudibus immènsis dominantem Morvene regem
 Ante alios fortem, fortesque in bella legentem
 Heroas, pelago subiit qui Lochlinis oram.

Post, ubi quarta dies ortus ostenderat almos, 75
 Deduci Trenmor praecepit in aequora navem ;
 Fertque refertque gradum curvo sub littore, donec
 Missus Hyperboreus repletit carbasa ventus.
 Jamque audit mediis longè crebrescere sylvis 80
 Murmura, cùm properè quidam succedit ephebus
 Candidus et rutilus humeros circumdatus armis.
 Aurea caesaries olli est, malaeque rubescunt ;
 Dextra nivem puro superat candore recentem ;

Caeruleique nitent oculi vultusque benignus.

Trenmora mox dictis invadit, praelia poscens: 85

Siste gradum, Trenmor studiis asperrime belli;

Lonvalis haud magni gnatus tibi cedit in armis,

Qui plures fortesque viros compescuit ense:

Qui porrò vesci cupiat coelestibus auris,

Ex acie cedens, illius spicula vitat. 90

I, decus eximium, juvenis formose capillos,

Rex ait armisonus: nolo concurrere cuivis,

Carmine quem nondum tollunt ad sidera vates.

Candet dextra tibi mollis, nec robore praestat.

I, pete capreoli rupes, lux alma juventae. 95

Ille sub haec: ibo, postquàm te fortibus armis

Exuero: facinus tantum nec parva sequetur

Gloria. Convenient nymphae, densâque coronâ

Stipabunt juvenem, magno qui robore regem

Stravit humi: gremio suspiria mollia fundent, 100

Cùm tibi detractum gladiumque hastamque vide-

Quin tua tela gerens miscebor millibus heros, [bunt.

Accumbensque epulis, summo decorabor honore.

Non mea tela geres aeternùm, percitus irâ,

Mox Trenmor: potiùs pallescere littore mater 105

Te tua conspiciet, pelagoque volare profundo

Vela viri, saevo stravit qui vulnere natum.

Haud pilum attollo ; nec me robustior aetas
 Firmat adhuc, fateor ; verùm mea recta per auras
 Avolat ex arcu multosque sagitta subegit 110
 Heroas bello. Loricam projice duram,
 Quae te sola necis tenui discrimine servat,
 Projicioque meam : jamjamque immitte sagittas.

Virginis hîc pectus passis prodire capillis
 Prospexit Trenmor niveum ; regisque sororem 115
 Agnovit. Versos in Trenmore fixit ocellos
 Haec aulâ fratris, longumque bibebat amorem.
 Obstupuit visu tanto fortissimus heros :
 Labitur hasta manu ; torpent in corpore vires ;
 Demittitque oculos humilis, terramque tuetur. 120
 Nympha micabat enim, veluti lux aurea Solis,
 Quâ videt Oceani latum splendescere campum
 Conversus, caeco prodit qui rupis ab antro.

Morvene qui regnas, dixit nivis aemula virgo,
 Me sine nave cavâ tecum salis ire per undas 125
 Diversam Corlâ, mens quem fastidit amantem.
 Non secus ac fulmen, terroribus Innibaccam
 Exagitat ; volvitque ferox sub pectore fastus
 Ingentes ; campoque hastilia mille coruscat. 129

Post clypeum requiesce meum, pulcherrima virgo,
 Trenmor ait : quamvis hastas quis mille coruscat,

Non illum metuo ; nec mos mihi vertere tergum.
 Inde dies ternos, cornu resonante, remansit ;
 Et Corlam è campis clivisque in bella vocabat.
 Noluit at Corlas belli tentare pericla. 135
 Turribus intereà descendit Lochlin * ab altis,
 Extruxitque dapes, celebrans nova gaudia plausu ;
 Morvenis ac domino lectam dedit inde sororem.

Ergo †, victor ait Phingal, mea, Lochlinis ô rex,
 Fervidus iste tuus peragrat praecordia sanguis. 140
 De summo nostri moverunt bella parentes
 Imperio, clarumque tenent per saecula nomen :
 Verùm saepe suis olim genialibus aulis
 Mutua curârunt convivia ; saepe vacârunt
 Muneribus festis paterae, fidibusque canoris. 145
 Pelle animis hastas ; cithararum carpe levamen.
 Pontus ut horrisonus vastis surgentibus undis,
 Prompsisti vires ; ceu clamor mille phalangum,
 Pugnantum medio confusae stragis acervo,
 Vox tibi personuit. Cùm prima refulserit Eos, 150
 O mihi dilectae frater germane puellae,
 Carbasa da ventis : nunc illius alma venustas,
 Sol veluti coelo medius, mihi mente relucet.
 Te propter niveam vidi plorare sororem ; 154

* Fòrs ab hoc rege vel ipsa regio nacta est nomen.

† Nota, D.

Cùmque meus fureret gladius, tibi parcere norat,
 Quamvis ingentes animo exarsêre dolores.
 Si certare juvet, dabitúr committere pugnas,
 Quas posuit Lochlin, queis Trenmor victor abivit :
 Inde domum partâ referes vestigia famâ,
 Monte velut Solis condit se lucidus orbis. 160

Non ego, tum Suaren, tecum, rex inclyte gentis
 Morveniae, cui nec multis in millibus unus
 Par est, certabo. Patris te limine vidi ;
 Nec mihi tunc aetas multos adduxerat annos ; 164
 Versabamque animo, memini, quo tempore possem
 Phingalis in morem validi consurgere in ensem
 Sublatum ; manibusque manus sub Malmore quon-
 dam

Miscuimus, postquàm, spumosa per aequora vectus,
 Successi Selmae dapibus paterisque refertis 169
 Hospes Hyperboreus. Ventura in saecula mittent
 Qui fuerit victor deducto carmine vates.
 Hoc etenim famâ multis memoratur in oris
 Certamen. Plures delatae Lochline naves
 Abductâ squalent turbâ, perque aequora Lenae
 Demessâ gladio : tibi, Phingal, munera sunt ; 175
 Aeternùmque fave magno mihi foedere junctus.
 Communi nobis Lochlin sub lege prematur.

Cùm tua Gormaleas proles advenerit aedes,
 Extractis dapibus certaminis inter honores 180
 Gestiet, atque animos tollet super aethera plausu.

Immo, rex inquit Phingal, tum voce secutus,
 Hae tibi sint, Suaren, naves *, sit saxea Lochlin.
 Sat patrum deserta mihi, sat roscida Morven 184
 Fluminibus, sylvaeque meae, cervique fugaces ;
 Tuque, Agandaecae frater germane, profundum
 Classe seca primi sub lumina Solis et ortûs.
 Carbasa da ventis, da te surgentibus undis,
 Gormaleumque subi clivum lucosque sonantes.

Optime rex †, Phingal, pateris liberrime princeps,
 Admiratus ait Suaren, quùm pace quiescis, 191
 Veris es aura tepens ; turboque, ubi praelia misces.
 Morvenis armipotens regnator, jungere dextrae
 Da dextram : laudentque tui plorentque preemptos
 Morte viros almi vates ; Erinque sepulchro 195
 Corpora per campum mandat dejecta meorum ;
 Extruat ac Lapides famae monumenta perennis.
 Quùm gelido nostri veniant Aquilone Minores,
 Quo patres campo moverunt bella notabunt ;
 Et medius tumulis venator talia secum : 200
 Hic Phingal Suarenque, animosi pectoris ambo,

* Nota, E.

† F

Centenis olim pugnas inière catervis.

Haec venator iners: nos fama manebit in aevum.

Tum contrà* Phingal: nunc nunc nos maxima
Gloria, rex pelagi, tollit. Ceu somnia noctis, [laudis
Ibimus hinc pulsi; strepor omnis et arma silebunt
Nostra jubente die; nec quâ tellure premamur 206
Depositum noscet, cursu qui devia lustrat.

Nec multum est famâ volitare per ora virorum

Nomina, quàm tumulo torpent ad fortia dextrae.

Ossianes cantu Carrilque Ullinque valentes, 210

Ante oculos vobis sublapsa recluditur aetas;

Defunctosque diu proceres memorare potestis.

Praeteritos revocate dies; hanc fallite noctem

Carminibus: properetque utinam laetabilis Eos.

Fudimus ore melòs; facili certamine centum 215

Dulces consonuère lyrae, vultusque reluxit

Suarenis, ut, victis de nocte per Æthera magnum

Nubibus, extemplò nitidum Luna explicat orbem.

Talibus inde sonis longaevum Carrila Phingal

Alloquitur, secum Cuchullina mente revolvens. 220

Heus† ubi Semonis natus, cui roscida servit

Insula? Da nunquid, lapsum velut Æthere sidus,

Conditur ad Turam validis dux inclytus armis?

* Nota, G. † H.

Conditur ad Turam, vates ait obsitus aevo,
Cuchullin, validis olim dux inclytus armis : 225

Neve manum gladio, tristive avertere bello
Ipse potest animum. Multo sublimis honore
Hastarum luget dominus ; tibi, Phingal, habere
Donat avi gladium Cabadis. Quippe fugasti
Lochlinidas magni grassatus turbinis instar. 230

Excipe, rex, ergo, tantus quod gesserat heros,
Vulnificum ferrum : tenues evasit in auras
Lausque, decusque viri, magnum et memorabile
Ut nebulae rapido depulsae valibus imis [nomen,
Flamine, quaeque sui vestigia nulla relinquunt. 235

Illius haud capiam gladium, rex optimus inquit :
Namque est Cuchullin nitidis acerrimus armis
Bellator ; fortemque virum sua fama sequetur.
Obruerat tenebris plures sors aspera belli,
Qui micuère novo congressu. Pectore curas 240
Pone omnes, Suaren, nemorosae Lochlinis ô rex.

Quamvis devictus cedat quis ab equore campi,
Inclytus est, totis si viribus ivit in hostem :
Sic Sol Æstivus caput inter nubila condit ;
Rursus at erumpens viridantes despicit agros. 245

Dux Conae, multis Grumal certamen inivit
Littoribus ; rabieque maris nigrâque procellâ,

Armorumque sono gaudebat fervidus heros.
 Appulit hic Cracae lectissima roborâ pubis,
 Rex ubi digressus luco circoque redibat 250
 Brumonis, Lemurum postquàm venerabile saxum
 Supplicibus fuerat votis affatus in armis.
 Ocyùs ob niveam miscentur praelia nympham
 Aspera: nam Conâ nomen famamque decorae
 Anniris audivit Grumal; mentique sedebat 255
 Hanc sociare sibi, certove occumbere letho;
 Lucida tèrque diem pugnamque Aurora reduxit,
 Vinctus et est Grumal, manibus post terga ligatis;
 Cùmque foret procul à patriâ turbâque faventum,
 Brumonis clausus circo est sub rupe cavatâ. 260
 Audiit hîc Lemures caecas ululare per umbras
 Horrendum circa Signum. Verùm inde refulsit,
 Ætheris extinctus ceu rursus accenditur ignis.
 Armipotente manu crudelem perdidit hostem
 Victor, et in solido nomen famamque locavit. 265
 Quare agite, ô vates, lustrat quos cana senectus,
 Exanimùm heroum laudes attollite dictis,
 Suarenis et curas luctumque repellite inanem.
 Procubuère viri; fundunt stridentia crines 269
 Flamina; mox centum voces centumque sub auras
 Dulce sonant citharae, Sublapsi temporis aevum

Concentus repetit regesque ducesque potentes.
 Mî quando talis replebit amabilis aurem
 Concentus, quandove hilarabunt talia mentem
 Gaudia? Si sperem, subitò spes irrita cedit. 275
 Ah! caret argutis moestam per Morvena chordis
 Barbitos; haud resonant Conam discrimina vocum;
 Namque almi proceres obitu vatesque quiêrunt;
 Lausque, decusque plagis exinde refugit ab istis.

Vix tremit orta dies pelago, Cromlamque recludit,
 Cùm Lenam Suaren raucis clangoribus implet,
 Lochlineas cogens gentes. Hae navibus altum
 Conscendunt, tacitumque premunt sub corde dolorem,
 Spem simulant vultu. Classem sua flamina vectant;
 Morveniaequè instar nebulae vaga carbasa pendent.

Orsus ait Phingal; juvenes, accite catellos 286
 Praecipiti cursu, candenti pectore Brannum,
 Magnâ vi Nertym Cherrumque acremque Luathum
 Naribus. I, praepes Follane; i, Roena*—sepulchro
 Roena jacet, gelido membris languore solutis. 290
 Protinùs, ô Follane ac Fera, cornua magnum
 Undique dent sonitum; collesque lacusque resultent
 Laetitiâ; cervique metu capraeque fugaces
 Exiliant stabulis deserta per avia Cromlae.

* Nota, I.

It sonitus sylvis ; linquitque ignavia somni 295
 Laetam venantum turbam ; lorisque soluti
 Mille ruunt acres catuli. Jàm quisque catellus
 Sternit humi cervum ; tres Brannus dejicit unus,
 Dentibus ac tractos sistit mox Phingale coram.
 Scilicet ardebat domino dare guadia moesto ; 300
 Jamque redit patris dolor altâ mente repostus,
 Aspicit ut contrâ Roenae requiescere saxum,
 Venandi fuerat studio qui fervidus olim.

Amplius haud proceres inter conviva sedebis,
 Rex, inquit ; mi gnate, jaces, nunquamque resurges.
 Evolvenda dies tumulum tibi conteget herbâ. 306
 Surget pejor avis aetas ; ignavaque proles
 Nesciet hâc quales heroes mole premantur.

Quod superest, reliqui, mea magna potentia, nati,
 Golle, catervarum ductor, cui fulminat ensis 310
 Caeruleus, mecum Cromlae conscendite clivum.
 Invisendus enim, Turæ qui luget in antro,
 Ductor ab Alatâ, debellatorque phalangum.
 Istane fòrs altae surgens arx culmine rupis
 Tura est ? Dux misero turbatur pectora bello 315
 Hospitibus felix ; aulâ lugubrè siletur,
 Regifico notâ luxu paterisque refertis.
 Armorum ad dominum tendamus ; mente jacentem

Jamjam solemur coràm, lectosque sodales.

Istene Cuchullin? volitansve per aëra fumus? 320

Flamina namque obstant penitùs ne visere possim.

Est, Follanus ait, superat cui laeta juvenus,

Est est Cuchullin, Semonis maxima proles.

Plura movens animo reticet, gladiumque capessit.

Salve! tum Phingal, qui scuta ingentia frangis,

Armipotens ductor: salve! rex optime regum, 326

Ocyùs, ore secuta, refert Semonia proles;

Te stipans valeat praeclara corona virorum.

Morvenis ô felix princeps, invictaque bello

Dextera, conspectum laetor te reddere coràm. 330

Tu Sol es, magno Cromlae qui devia lustrat

Orbe redux, postquàm venator luxerat illum

Deerravisse; micant circùm, ceu sidera, nati.

Non me squalentem vultu, non pectora curis

Turbatum, Phingal, vidisti Morvene quondam, 335

Cùm rerum domini*, fracti victricibus armis,

Montibus è nostris issent, fremeretque triumphus

Per colles liquidosque lacus lucosque profundos.

Copia larga tibi verborum est, inglorius inquit

Mox Connan†: nimiùm jactas, Semonia proles: 340

Concilioque ducum prae millibus obstrepis unus.

* Romani.

† Nota, L.

Ast ubi sunt manuum haec ingentia facta tuarum ?
 Quò nos oceani tumidas trajecimus undas,
 Auxiliumque tibi tulimus certamque salutem ?
 Tu fugis ex acie ; Turae te condis in antro ; 345
 Ipse tuas in eo pugnas dîscrimine lethi.
 Qui latitas igitur, nec quam spem ponis in armis,
 Da mihi quae frustrâ gestas fulgentia tela.

Non mea bellator quisquam tela ante poposcit,
 Indignatus ait Cuchullin ; neve dedissem
 Poscenti, Connan, juvenum ignavissime ; nec jam
 Ex acie cessi, luctum sub pectore versans,
 Donec tot ruerant proceres, tot fulgura gentis
 Erineae, populusque immâni clade peremptus.

Talia quò spargis, dum non specteris agendo, 555
 Exceptit Phingal, Connan, cui dextera friget.
 Sat jam Cuchullin bello ductisque triumphis
 Enituit : quas posthâc cunque subiverit oras,
 Pectora concutiet virtute ac fortibus armis
 Horrificus : multis famâ memorabile nomen 360
 Iste plagis misit viridis dux Phallidis altus.

Maxime Cuchullin, celso da candida malo
 Lintea, teque mari. Reducem te patria tellus,
 Insula rore madens telisque asperrima duris
 Accipiat. Claro Sorglani sanguine cretam, 365

Respice mente memor Bragellam. Saucia curis,
 Humectansque genas, pelago pia lumina figit
 Littore in extremo : per tempora sibilat Eurus,
 Undantesque comas niveo sub pectore miscet.
 Captat hians atrae volitantia murmura noctis, 570
 Remorumque sonos : longè resonare per undas
 Ipsa tuum credit cantum citharaeque levamen.

Credit, at incassùm, tristis tum reddidit heros :
 Fractus enim bello, positis inglorius armis
 Non patrios repetam fines. Quid namque viderem
 Te, Bragella, imo suspiria rumpere corde? 576
 Me gladiis medium mediumque horrentibus hastis
 Vincere vidisti, magnorum maxime regum.

Vincere vidi equidem, rursùsque videbere victor,
 Phingal ait festo concharum munere notus. 580
 Qualis sub Cromlà quercus, tua surget in altum
 Gloria*; bella manent te plurima; plurima campo
 Vulnera jactabis. Delatam appone ferinam,
 Lecte Oscar : dapibus cyathisque accumbite plenis.
 Corpora curemus; nobiscum gaudia carpat 585
 Erineus rector fortis, fortesque sodales.

Consedère duces; epulis numerisque vacamus;
 Attollitque animos Cuchullin. Robora membris

* Nota, M.

Excelsi rediêre viri ; nova gaudia vultus
Induit explicitus. Referebat facta priorum 390
Ullin, et hunc Carril dicentem voce secutus ;
Additus hisque comes pugnasque virosque canebam
Ipse ego ; quos inter strinxì penetrabile telum.
Amplius haud ullum stringam ; mihi gloria cessit.
Frigidus ad tumulum sedeo moestusque meorum,
Qui viguêre diu praestanti pectore et armis. 396
Noctem egit cantus : pelago lux alma refulsit ;
Surrexitque toro Phingal, dextrâque coruscum
Concussit pilum. Sese sub littora perfert
Impiger ; aere renidentes, nos pone subimus. 400
Aspirant aerae, laetos date classibus Austros,
Morvenidae, clamat, patriosque requirite portus.
Tollimur inde leves curvato gurgite in altum ;
Exultansque* animis, vehitur generosa juvenus
Per mare caeruleum latè spumantibus undis. 405

* Nota, N.

FINIS.

NOTÆ.

NOTÆ

IN

LIBRUM PRIMUM.

A.

REM aggreditur Ossianes absque ambagibus, ad eventum festinans. Ante Turam, arcem Ultoniae, seu Ullinis, quae provincia est Hibernae ad Aquilonem, sedisse canit Cuchullina, Semonis filium. Quò magis autem hâc imagine defigantur auditorum animi, alia, huc spectantia, nitidè describit.

B.

Fuit Cuchullin Caledonius, insulaeque regnator Alatae*, quae Ebudarum, sive Hebridum tertia est ad Scotiae Occasum. Illic sedem habuit Duncscacidem, quae ad hunc usque diem partim duravit; marisque fluctibus penè cingitur. Stat juxta Lapis, cui Luathum, canem Cuchullinis venaticum, ligari solitum memoriae proditum est. Vir erat fortissimus: si quis nos inter robore cursuque praestet, Cuchullini comparatur. Illius lethum nobili ploravit carmine Ossianes.

* Anglicè Sky.

C.

Gaëlica, seu Celtica vox haec, Moran, significat multitudinem : nomenque est fòrs poëticè inditum timido litoris marisque exploratori.

D.

Pro cyathis Majores nostri quibusdam patulis utebantur marinis conchis ; atque hunc morem ad ultima servatum tempora vidimus.

E.

Fuit Suaren Starnonis filius, rexque Lochlinis, quae plaga est Scandinaviae. Caesus est a Gramo, Norveciae principe, qui tertio saeculo diem obiisse supremum dicitur. Vid. Summius, rerum Dan. Scriptor. V. I. p. 94, &c.

F.

Selma, Phingalis regia, quae alio quoque nomine ab Ossiane appellatur Taura, et a quibusdam Scotis scriptoribus Beregonium, surgebat è dorso tumuli praeter pelagus ; distabatque aequè penè a faucibus sinuum Etive ac Crenan, eam Argatheliae interluentium plagam, quae nunc Lorna superior vocatur.

G.

Morven, Scotiae pars Occidua atque Aquilonaris, aestuarium Glottae inter fretumque Orcadicum concluditur ; plagamque montanam complectitur Perthensis praefecturae. Montibus et vallibus profundis intersecatur. Mor-

ven Gaëlicè idem est, ac si Latinè magni montes dicerentur.

H.

Malmor mons est Morvenis ; idemque sonat ac ingenti mole mons.

I.

Quàm varia, quàm lucida, vitamque spirans est, quae sequitur pictura, ceu conscriptio ! Si tot dissitos locis heroas in arma cogere suscepisset Graius Homerus, infinitus foret. Rem paucis Ossianes exequitur versibus.

K.

Fuit Connal heros Caledonius conjunctissimusque Cuchullini. Patrem habuit Colgara.

L.

Dux erat Calmar a Conactâ, quae Hiberniae provincia est ad Occasum. Illius pater dicebatur Matha, sedesque Lara.

M.

Cromla mons est Ultoniae, quae Hiberniae provincia est ad Aquilonem. Mons iste scopulis antrisque asper mirè reddit sonores. Cromlae supercilio sita erat arx Tura.

N.

Mora Hiberniae plaga est ; idemque in Scotiâ nomen occurrit. Nec mirum : qui etenim nos inter gentem â

priscis ducunt Caledonibus, eâdem, quâ Hiberni, linguâ utuntur.

O.

Phallidis nomine nota fuit olim Hibernia, vel Hiberniæ pars.

P.

Hiberniæ nomen patrium Erin est ; hinc Erigenæ.

Q.

Lego plaga est Conactæ. Arx etiam, seu sedes Branonis, cujus filiam, Evirallyna, duxit in uxorem Ossianes, Lego dicebatur.

R.

Albin antiquum est patriumque Scotiæ nomen : hinc Albion.

S.

Cona, fluvius Scotiæ sat magnus, e monte Nigro desiliens in sinum Etive, sub faucibus ad Atlanticum Oceanum vocabatur Lora ; quæque inde Aquilonem versus ad usque sinum Leven protenditur plaga, montibus et vallibus intersecta, Conæ quoque nomine erat nota.

T.

Scipionis instar contendit Calmar bellum inferendum esse hostis finibus.

V.

Hiberniæ rex erat eo tempore Cormac ; atque adhuc puerulus. Fuit Phingali necessitudine conjunctus : a rege nam Trenmore, Phingalis proavo, duxit originem.

U.

Cum tragica exponit, præcellit Ossianes. Duchomeris saevitiâ, quod narrat facinus nîl curantis, Murnæ solerti virilique virtute, rapidâ oratione, quæ totam explicat rem, atque alterno insperatoque percellimur vulnere ; dulcique nescio quâ demersi aegritudine conquiescimus.

X.

Gormal, Lochlinis mons.

Y.

Sæpissimè luxuriat Homerus ; in hoc describendo curru, jugalibus, ipsoque Cuchulline Ossianes. Haud dubitandum quò paucis exposuerit, quæ viderat explorator : at erant ea fusiùs proponenda Ossianis auditoribus, quippe qui talibus, utpote jucundis, oblectarentur.

Omne tuiit punctum qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando, pariterque docendo.

HOR. *A. P.*

Didûs violavit historiam Virgilius, popularibus placiturus suis. E rhedis pugnasse Gallos Britannosque docent Caesar et Tacitus.

Z.

Similitudinibus abundat Ossianes; omnesque abundavêre veteres poëtæ. Si harum invenit usum verborum inopia, servat adhuc utilitas: afferunt enim eloquio multum lucis et venustatis. Has autem mirâ seligendi sagacitate quotquot poëtæ longè superat Ossianes. Quae in cultioribus civitatibus debentur hominum arti, atque luxuriae, penè ignoravit Caledo; at mundi contemplatus est aspectum; ibique rerum suarum invenit aptissimas effigies. Quae, ut ita dicam, componit elementa, non admodum fòrs multa sunt; sed varia est harum facies, semperque renovatur. Suis autem hîc similitudinibus depingit Ossianes tanti horrorem praelii aptiùs multò, quam, si Homeri in morem, mille heroum funera persequeretur.

a.

Hanc similitudinem prorsus pervertit Anglus interpres, Macphersonus. Quod enim vertit, non intellexerat exemplare. Hoc autem saepiùs esset notandum.

b.

Tempestivè ad hanc se convertit virginem poëta. Sic etenim emollit auditores, luctuque replet. Vix talia Homerus curavit: vel, siquando attingat, tot explicat ambagibus, ut omni destituantur aculeo.

c.

Optimè hac utitur interrogatione Ossianes. Inde quidem fit, ut, prout oportet, tantâ re animos defigamus.

d.

Cessat jam pugna ; utque hiabamus, frustrari querimur.
Verùm, si nostra paulùm differatur voluptas, aucta hinc
renovabitur.

e.

Quamvis non usque adeo patuisset Celtarum hospitali-
tas, ut ad convivia hostes accerserit, sapienter tamen canit
Ossianes Suarena vocatum ad Cuchullinis fuisse coenam.
Intelligebat enim neminem hominibus maximè commen-
dari, cui non ea tribuerentur cumulata, quae vulgò pluri-
mi habentur. Id non perpenderat Homerus ; illiusque
Achilles non omninò amatur.

f.

Sic respondit Hyperboreus iste Polyphemus.

g.

Plena robore sententia ! Non quaerit Cuchullin quid
minitatus fuerit Barbarus ; faciliq̄ue movet cantum transi-
tione. Apud Albineos Hibernosque populos in inagno erat
honore cantus : praelia ciebat, honestabat funera, convi-
viis miscebatur, oculos in dulcem claudebat somnum.
Hinc, vacante fabulâ, uti sub noctem fit, aliundè quaesita,
plurima decantat Ossianes.

h.

Ullinis, seu Ultoniae.

i.

Gulbin mons est Hiberniæ, itèmque Scotiæ.

j.

Quem canit amorẽ Ossianes, tenerrimus est : imis hæret animæ sensibus ; blandisque perfusus deliciis nunquam eo loci deturbatur. Percurrit quidem venerandus senex quidquid humani corporis aspectu est speciosius ; nec ultrà, vel cogitatione, progredi videtur.

k.

Sedebant eo tempore Cuchullin Carrilque ad Crimoris atque Brasollydis sepulchrum ; unde fòrs repetenda hujus canendi Episodii ratio.

l.

Nescio utrum amantissimum thalami consortem, fortemve admirer militem : est cur in Cuchulline utrumque admiremur.

m.

En ! quintum nominatur Phingal, cujus oblivisci non sinit nos optimus poeta.

n.

Credebant Caledones circumstare ante cujuspiani obitum morte obitã figuras. Lugubria autem hæc exequitur Ossianes, ut, mox in medium adducendã, magis magisque Umbrã Crugalis commoveamur.

NOTÆ IN LIBRUM SECUNDUM.

A.

Qui condunt historiam, veritate duce varios enarrant eventus: poëtae autem plurima comminiscuntur, quibus Lectorum animos mulcent; potitque ad virtutis cultum hortantur. Suis tamen conciliant hi quam possunt fidem commentis. Mirum quidem est, quod sub initium hujus libri conspectum fuisse dicitur. Verùm, quae de visis mortuorum Umbris hîc passimque transdit Ossianes, in vulgi opinionem ubique terrarum facilè conveniunt; quique Crugalis videt Umbram, vir probus est, atque fortissimus. Sub noctem procumbit is, a milite diversus, ad plangentem aquarum rivum, veteremque arborem, foliis atque omni nudatam virore. Obductus musco, est illi pro pulvinari lapis; latè loca circumstrepunt vento. Jam placidissimè dormit heros; ignisque tractum, atque igni insidentem aspicit Crugala, quem vel nos, haec legentes, aspicere atque auscultare coràm videmur.

B.

Anteqùam accesserit institutio, queis valdè percellimur, omnia nos animabus intùs agitari credimus; neque aliam rerum causam explicationemque assequimur. Hinc ea facilè in totidem convertimus homines, aut hominum similia effingimus; omnes adeò, quot sumus, poëtae nascimur.

Hinc etiã apud omnes penè gentes pleraque Diis, Geniisve, erant repleta : atque illi ad hominum normam boni maliq̃ue fingebantur ; similibus dicebantur fungi muneribus ; similibus colebantur ritibus ; diris cruciatibus atque sacrificiis, si crudeliores putarentur ; hymnis, musice, choreis, si alacriores.

C.

Defunctas corporibus animas opinabantur Ossianis Populares n̄l ampliùs ad ea valere, quae fortiter agebant ol̄im. Ventos tempestatesque commovebant hae. Quod ad humana attinet, penè torpere intelligebantur.

D.

E superstitionibus vulgi caput exserit Ossianes ; satque significat non iis se multùm teneri. Caeterùm, ut ubique, reddit h̄c cuique convenientia : providus est Connal, bellumque, suis perniciosum, studet avertere ; indè magis est credulus. Totus in armis est Cuchullin, maximèque gloriã ducitur ; quod quidem hominum genus vix unquam vanã superstitione irretitur.

E.

Non nisi, qui suã excellit arte, discriminat quae sunt simillima. Talis tantusque describitur Cuchullin, ut nihil eo majus excogitari posse videatur. Attamen, haud ei quid detrahens, alium nostros ante oculos ponit Ossianes heroa longè praestantiorem. Nescit Cuchullin tergum obvertere, quia veretur os Phingalis, in quo quidquid est virtutis, suo tanquam fonte speculoque visum, admiratur.

F.

Non est, cur aegrè feramus Eriginas hâc paulùm ob-
volvi nebulâ. Mox enim depelletur ea loco ; Suarenisque
fastum inopino retundi visu gaudebimus.

G.

Qualis qui legat Suaren, illius superbit Legatus ; domi-
numque suum egregiè agit Morla.

H.

Asperis in se conviciis Homeri crudescunt heroes. Ca-
vit Ossianes ne suis id vitio verteretur. Sunt enim graves ;
sapientiam callent ; cum dignitate semet alloquuntur.

I.

Ob officium in Cormacem, adhuc puerulum, caput ob-
jectat periculis Cuchullin ; ob necessitudinem, atque etiam
amicitiam succurrit ei Phingal. Caecâ fertur irâ in Tro-
jam Achilles ; vi, summamque per injuriam profugus Æne-
as novum in Italiâ condit imperium. Itaque eò se magis
commendat hoc Ossianis poëma, quod decus et probita-
tem doceat, suadeatque.

K.

Cuchullina miror equidem ; miror et Connala. Arma
Cuchullin ardet ; pacem laudat Connal. Ex adverso ita-
que stant : diversa tamen sentientes, mutuo se illi honore,
fideque prosequuntur. Nos quoque, sicut Cuchullin, hâc
indignamur, atque calescimus. Blandè reprehendit is

Connala, qui saepius pacem laudârat ; deinde in iras effunditur nobiles ; certusque pugnandi, suos in fortia hortatur.

L.

Nuperrimè ducta fuit in uxorem Dogrena ; ideoque nova appellatur hospes.

M.

Jam cecinit Carril : cantuque ejus duce, en ! acie in mediâ, mediisque armis confligentibus, prout res postulabat, versamur.

N.

Crochmor ingeus est saxeusque mons ad Conae septentrionem.

O.

Hibernorum res est desperata : atque haec abrupta, exultantiaque nunciï verba sat prae se ferunt quanti habeatur momenti adventus Phingalis. Nondum advenerat ; advenire tantùm nuciatur. Opportuniori autem tempore in scenam adducetur.

P.

Cum premit fortuna, revocant in mentem viri probi quod vel inviti deliquère. Est sanè perquàm funebre, quod narrat Cuchullin ; at nobile exponit amicitiae amorisque luctamen. Ferdae miserescimus ; ipsumque damnamus,

ut minùs justum, et tenacem propositi virum. Si cedendum amori, non eò usque profectò cedendum est, ut amicitiae jura sanctissima violentur.

Justum et tenacem propositi virum
 Non civium ardor, prava jubentium,
 Non vultus instantis tyranni
 Mente quatit solidâ, neque Auster,
 Dux inquieti turbidus Adriæ,
 Nec fulminantis magna Jovis manus;
 Si fractus illabatur orbis,
 Impavidum ferient ruinae.

HOR.

Q.

Protervâ fronte petit maritum Degyl, petit et amantem; egregièque superbam agit foeminam. Dolendum quidem alias ubique gentium inveniri Degylas, Ferdasque alios, quos malesanus vincit pessundatque amor.

R.

Quos summo affici dolore dicit Ossianes, admodum parcè loquuntur. Noverat enim silentium esse quandoque omni oratione eloquentius, ingentesque stupere curas.

NOTÆ IN LIBRUM TERTIUM.

A.

Est Lora sinûs Etive pars torrentissima ; sinusque hic ad Scotiae occasum per Lornam superiorem, Argatheliae plagam, diducitur. Sub faucibus angustior est, ingentique hinc indè protensâ rupe asperatur ; et, tumente atque detumente oceano, ejus aquae vasto cum impetu, sonituque, longè latèque fuso, in praeceps aguntur.

B.

Erat Lodin Scandinaviae Deus, ad cujus rudem effigiem ex lapide preces effundebat Snyven, quasi sacerdos ; unusque erat è Scaldis, qui suos inter Bardorum muneribus magno cum honore fungebantur.

C.

Pulchrum hoc Agandaecae episodium, eò maximè inseruit, ut ritè feliciterque Phingalèis absolvatur. Quanto sit futurum usui, non adhuc planè perspicimus ; brevi autem intelligemus. Dum itaque suam voluerit mentem explicare Ossianes, narranti Carrili, solantique, quà potest, Cuchullina, aures intendamus. Est oratorum, est et poëtarum propriam celare artem.

D.

Non unus Pythagoras terno gaudebat numero, sed et Lochlineus Starno, Caledoniusque Ossianes. Solemnis habitus fuit numerus hic ubique terrarum.

E.

Nihil hac brevi similitudine elegantius.

F.

Supercilium cogit atram in nubem Starno; illiusque ardent oculi. In natam mox ipse fulmen ejaculabitur.

G.

Fortem hanc Mentem, degentem coelo, precatur Cuchullin: nec dubito quin ea sit rerum gubernator optimus, quem nostris nos oculis non assequimur. Non videtur Cuchullini sat de eo constare, quem votis adit: accedit enim dubius. Vulgatissima autem erat Caledonum doctrina de animabus, jam corpore defunctis. Hae quidem nubibus insidere dicebantur, procellasque suscitare: at in iis, quae hominem spectant, constans erat opinio nîl ipsas omninò pollere. Praeter hoc unum Cuchullinis votum, vix quidquam in Ossiane legimus, quod inter Populares suos Religionem sapiat. Haud tamen inde existimandum est Caledones non abundavisse superstitionibus. Ut enim ex certissimis novimus monumentis, tenebantur Britanni disciplinâ institutisque Druidarum. Verùm ab hisce exponendis abstinuit Ossianes, utpote quae, multis implicita ineptiis flagitiisque, damnaverat. Communem porrò, de

visis morte obitâ figuris non est dedignatus opinionem in medium afferre; quae, sin vera, ferenda saltem erat; mirificèque inserviebat poësi.

H.

Obtuso sit oportet ingenio, qui brevem hanc nitidamque tempestatis descriptionem non admiratur.

I.

De futurâ Phingalis victoriâ non ipse animi confidentissimus dubitat Calmar: atque vel hinc eminet Phingalis virtus, quae ab omnibus laudatur.

K.

Quod committitur Connali Carrilique munus, obire vel ipse potuit Carril. Noluit tamen vir gravis, Connal, projicere animam absque ullo commodo. Haud igitur obstitit Cuchullinis imperio, quem planè videbat certum perdendi Suarena, ubi vir viro congrederetur, aut mediis pereundi hostibus.

L.

Ruit vis expers concilii. Praecipiti erat animo Calmar; caecoque pugnabat Marte: vulneribus ergo confectus obiit; nec quidquam tantis dignum promissis et hiatu gessisse fertur.

M.

Non admodùm dissimilis est Virgilio locus, *ÆN.* V.
v. 586.

Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quae sese, multis circumlatrantibus undis,
Mole tenet: scopuli nequicquam et spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga.

N.

Mira est, hoc loci, Ossianis ars. Si, cum Suarene congressus, occumbat Cuchullin, suae barbarus atroxque rex sorti, Suaren, aeternùm gratulabitur; si verò caedatur Suaren, inutilis erit Phingalis adventus; poëtaque in arcum, unde referre pedem non poterit, desiliet. At relinquit Erigenas Suaren; cursuque praecipiti ruit in Phingalidas; atque ita omnia ritè servantur.

O.

Quis tam ferreus est, ut tanti nunc primùm infausti viri gemitu non moveatur? Exit is è scenis. Indè Phingala nos toti spectabimus, admirabimur, diligemus.

P.

Quàm bonus est Morvenis rex! Sui suorumque videt hostem, Suarena; non tamen ut hostem agnoscit, sed ut dilectae fratrem Agandaecae.

Q.

Non solùm canit Ossianes, sed rei quam canit, est ipse pars magna. Qua propter, ubi quid narrat, commove-

tur, effervetque. Comparat porrò senectutis damna cum iis, quae fortia gesserat juvenis; ipsumque admiramur, unàque miserescimus.

R.

Enitet ubique amabilis adolescens, Oscar. Gloriâ maximè ducitur, totusque avi tenetur admiratione. Est cur tanto magistro, tantum edocenti discipulum, animos benignè advertamus.

S.

Phingalis erat genitor Comal: at de ipso altum est hîc silentium, quâ fòrs turbidior fuerit bellator.

T.

Gens, seu ditio, glomeratave Phingalidarum phalanx, dicebatur Phennis.

U.

Optandum foret maximos quosque duces praeceptis institutisque abundavisse Ossianis. Homero utebatur magistro Alexander; pluresque extiterunt Alexandri; unus at Phingal.

V.

Gollus, filius Morni, princeps erat gentis, quae de rerum summâ diù cum Phingale contenderat. Debellatâ eâ tandem, Phingali mirâ devinctus fuit inde amicitîâ, magnusque habebatur bellator. Erat is tamen animi, quàm par, fidentior; atque, ut ex hoc patet carmine, aliquantulum invidus.

NOTÆ IN LIBRUM QUARTUM.

A.

Quoniam, quae fortia gesserat hoc Hiberniae bello amantissimus Malvinae Oscar, nunc recensenda sunt, optimè ea totam rem audire fingitur. Cum autem advenisset, narraturus erat Ossianes apparuisse sibi dilectae Umbram Everallynis, monentem ut periclitanti subveniret filio. Altiùs hinc orditur poëta, suosque canit amores, commissamque cum aemulo Cormace pugnam : atque ideò paulùm digredi videtur.

B.

Senectae damna saepiùs, ut hîc, cum juventute suâ fortique aevo comparat Ossianes. Hinc ejus olorina quæromonia, quâ tantopere movemur.

C.

Ad rem revertitur suam poëta.

D.

Sapienter fingit Ossianes patrem secessisse acie, tumulumque occupavisse : namque revertentis magis magisque

ideò lucebit virtus. Mox Fabii instar descendet ; confidentissimum animi armorumque liberabit Gollum ; Suarenique eripiet victoriam.

E.

Nonne vel Jovi Statori, Romanas sistenti fugientes acies, simillimus est Morvenius Phingal ?

F.

Innovatur pugnae facies : heroum erumpit alacritas mira, aliis aliisque verbis prolata ; pulchrèque, ut par erat, Phingali reservatur Suaren.

G.

Cum praelia describunt Homerus et Ossianes, alias omnino ineunt vias. Plurimos coëcervat casus Homerus ; unum aliunde seligit Ossianes ; totusque huic ornando immoratur. Si quis medium inter utrosque tetendisset iter, omne fòrs tulisse punctum jure meritoque diceretur.

H.

Hanc tantae effigiem pugnae cum quâdam Virgiliti descriptione, quae Georgicorum I. v. 322. legitur, comparare fas est : nec admodum absimilis videtur.

Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum,
Et foedam glomerant tempestatem imbris atris

Collectae ex alto nubes : ruit arduus aether,
 Et pluvia ingenti sata laeta boumque labores
 Diluit ; implentur fossae, et cava flumina crescunt
 Cum sonitu, fervetque fretis spirantibus aequor.
 Ipse pater mediâ nimborum in nocte corusca
 Fulmina molitur dextrâ, quo maxima motu
 Terra tremit ; fugère ferae, et mortalia corda
 Per gentes humilis stravit pavor ; ille flagranti
 Aut Atho, aut Rhodopen, aut alta Ceraunia telo
 Dejicit ; ingeminant Austri, et densissimus imber.
 Nunc nemora ingenti vento, nunc littora plangunt.

I.

Uno hoc magis afficimur casu tenerrimo, quam mille,
 ab Homero fusè expositis.

K.

Quis non hanc commendet spirantem picturam, miram-
 que vatis solertiam, quâ suus quantuscunque servatur
 Cuchullini honos, nihilque de Phingalis gloriâ detrahitur ?

NOTÆ IN LIBRUM QUINTUM.

A.

Minorum exposuit heroum pugnas nostros ante oculos Ossianes. Phingali nunc atque Suareni congressis astituri sumus ; horumque certamen sapientèr discriminatur.

B.

Paucis exequitur poëta Caledonius optimi regis laudes. Agamemnona vocat Priamus beatum ob ejus copias popululume. Il. 182. Populum hîc Connal ob regis virtutes.

C.

Rem auget suam Ossianes poëtarum in morem. Haud credit ipse, quae profert mira ; nec credi posse sperat. Talibus in medium allatis, id unum significat, maximum fuisse duorum fortissimorum regum luctamen.

D.

Devicto Suarene, vulgaris operi finem imponeret poëta. Non ita Ossianes ; majorque Phingala manet adhuc victoria.

E.

Phingalis admirati sumus fortitudinem : admiremur et lacrymas. Homo est ; ipsum tangunt mortalia. Non tamen

flet diu. Sciebat enim Ossianes citiùs lacrymam arescere.

F.

Quippe graviter fuerat vulneratus Orla, quamvis id, datâ operâ, huc usque celaverit Ossianes.

G.

Non quae bellum solummodò, sed etiam quae pulchram sapiunt pacem, commendat Ossianes.

H.

Per primos septem libros Iliados vix apparet maximus Homeri heros, Achilles; perque alios quinque altum est de illo silentium. Phingalèidos tertio prodit in campum Phingal: saepè tamen fit antè ejus mentio; acritèrque expectatur. Quo primùm apparet ipse, recedere nostro è conspectu Cuchullina deprehendimus, votisque vel moestum prosequimur. Hunc postea quandoque longè aspiciamus; tantique viri fidissimum sodalem, Connala, admiramur.

I.

Dicuntur poëtis poëtae invidere: at summa est Ossianis Carrilisque urbanitas; summâque hi amicitia obstringuntur.

NOTÆ IN LIBRUM SEXTUM.

A.

Quod pingit Ossianes, valdè pingit, sive id lugubrius sit, sive laetius ; lectoresque suos in se rapit, adeòque movet, ut, quidquid ipse sentit, imis id praeordiis sentiant.

B.

Phingalidarum potus admodum parcus fuisse describitur : mentem serenabat ; cantum et nobile ciebat colloquium. Non horum poculis misceri venenum puerulus credidisset Cyrus.

C.

Sicut Phingalis et Agandaeae episodium huic feliciter concludendo poëmati aptissimum erat, sic etiam Trenmoris et Innibaccae eodè tendit ; ideòque decantatur.

D.

Ossianis omnes vi pollent orationes, nitentque venustate ; haec autem longè est pulcherrima. Domandus erat atrox Suarenis animus ; quatuorque maximè obstabant, mutuum Caledonum atque Lochlinidarum odium, Phingalis et ipsiusmet Suarenis inimicitiae, hujus devicti pudor, studium-

que recuperandi quam amiserat famam. Hâc autem oratione ista omnia suaviter fortiterque amoventur.

E.

Ab alienis appetendis adeò se abstinuit Phingal, ut, quae post partam victoriam sibi jure vindicare potuisset, oblata renuat accipere. Non hâc erat indole Achilles. Cum enim reddidisset Priamo corpus Hectoris, seque a Patrocli ideò excusari precaretur Umbrâ, non, ut potuit, id tribuit humanitati, non Jovis imperio, matrisve Thetidis, sed acceptis minimèque spernendis muneribus. En quam pingit honestatem Homerus! Verum ad Euripedem veniamus. Argivorum rex, Adrastus Atheniensem adit regem, Thesea, futurum sperans ut, eo auctore, Thebani extinctos bello sepelire sinant. Asperior fit in supplicem hospitem Theseus, illiusque rejicit aequissimas preces. At, matris tandem motus consilio et eloquentiâ, Thebanis infert bellum, victorque in Adrastum conviciis adhuc debacchatur. Apparet interim, uti placet poëtae, Minerva; suadetque Atheniensi praemium ópis laborisque postulare. Talis est alterius Graeculi virtus, decusque. Morvenius autem Phingal, ubi certior fit periclitari Cuchullina, succurrit ipsi, liberat Hiberniam, socium solatur victum, et magnis effert laudibus; adeòque temperans est ut non solum ab ipso nihil expectet, verùm etiam quae fractus volensque communis obtulerit hostis munera, recuset.

F.

Magnificè tandem de Suarone triumphat Phingal. “ Nulla

quidem, ut inquit Marcus T. C. est tanta vis, quae non ferro atque viribus debilitari frangi que possit." Ast animum lenire Suarenis nulla potuit validissima dextera : id una confecit Phingalis mira indoles, bonitasque ; hostemque immanem, penitens mutatum, amicitiam ille sibi devinxit sempiternam. Hinc iis, qui nos per injuriam laesere, obviam eamus, benevolentiam instructi, jucundissimamque victoriam spe praesumamus.

G.

Quae sequitur Phingalis doctrina, non est ei multum dissimilis, quam tradit M. T. Cicero in Somnio Scipionis. " Igitur altè spectare si voles, inquit Scipio Africanus, " neque te sermonibus vulgi dederis, neque in praemiis " humanis spem posueris rerum tuarum : suis te oportet " illecebris ipsa virtus trahat ad verum decus. Quid " de te alii loquantur, ipsi videant ; sed loquentur tamen. " Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur iis regio- " num, quas vides ; nec unquam de ullo perennis fuit ; et " obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis ex- " tinguitur."

H.

Sapienter de victo fortissimoque viro, Cuchulline, mentio fit : namque inde recreetur carpatque solatium Suaren necessè est. Eò quoque tendit quod de Grumale subjicitur episodium.

I.

Mediocrates poëtae huc illuc discurrunt, ea perquirentes, quibus valdè lectores commoveantur; qui verè poëta est, invenit ea recto tramite.

K.

Refert Conan Homeri Thersitem; perque Ossianis carmina notatur passim verborum animique audaciâ. Si quis nos inter indulgeat rixis, manuque sit futilis, huic solet Conan comparari. Non solùm probos, sed etiam malos describit mores Ossianes; atque hos utrisque ponit limites, quos lucem inter umbrasque facilè agnoscimus. Nemo itaque ab eo, virtutis deceptus specie, in vitium trahitur.

L.

Quae corporis immunia sunt, his plerùmque describit Ossianes, quae ad corpus attinent; nec poterant aliter ea primitus enunciari. Iste porrò dicendi mos poësim sapit magis, quae pictura est; majoremque prae se fert solertiam ingenii, quod in diversis coëcervandis, atque inter se comparandis, plurimùm versatur.

M.

Qui poëmatis epici profitentur leges, faustum exitum solent praescribere; talem Ilias, talem habet Æneis. At tamen Hectoris funere, Turnique nece, aliquantulum contristamur. Totus autem ridet prospectus sub finem Phin-galèidos: liberatur Hibernia; remittitur liber in regnum

Suaren ; recreatur Cuchullin ; redeunt ovantes in patriam Phingalidae.

E Melchiore Cesarotti, qui Phiñgalèide illustrandâ mihi praecurrit, plura huc traduxi, more meo digesta ; eòque libentiùs, quòd cum alienigena sit, summoque vir ingenio, et litteratissimus, ab aequâ proficisci aestimatione videbuntur laudes, quibus effert Ossianem. Jamque propositum exegi opus : superest ut gratias agam, quín imò habeam, maximas iis optimis viris, qui defessum labore, me recreabant hortatu ; abberantem recto tramite, me reducebant in viam doctrinâ.

FINIS.



ERRATA.

Pag. 6. lin. 4.	corr.	imprimisque	Pag. 59. lin. 4.	corr.	totum
27. 19.		janque	66. 22.		purisque
54. 14.		placidi	67. 6.		qui
— 15.		concessu	77. 2.		recludunt.
— 19.		peccat	79. 19.		viridi
48. 17.		experientiâ	98. 23.		ingeminat;
49. 6.		lingua	106. 19.		refert,
51. 9.		Teucrorum	130. 9.		fluctûs
52. 3.		Phrygia	143. 4.		extemplò
— 6.		aquae	154. 11.		agnoscens
— 13.		poëta	191. 11.		vallibus.
52. 22.		quod molle,	— 19.		aequore



